This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LP
IG
73

L.f. 16.73 Bd. April, 1895.

Harvard College Library

FROM

H. W. Haley,
of Cambridge.

11 Feb. 1895.



Knud

16.73

REPRINTED FROM HARVARD STUDIES IN CLASSICAL PHILOLOGY, VOL. II.

[BOSTON: GINN & COMPANY. 1891.]

Sp 16.73

H. W. Haley.

QUAESTIONES PETRONIANAE.

SCRIPSIT H. W. HALEY.

QUAMQUAM hac nostra aetate paene omnia antiquorum scripta a doctis viris accurate copioseque pertractata sunt, tamen in Petronium pauci admodum studia sua contulerunt. Quod maxime mirum videtur: nam dubitari non potest quin saturae Petronianae perutiles sint ad vitam Romanorum recte intellegendam; qua de causa satis dignae videntur in quas aliquid operae et curae impendatur. Fortasse autem textus foedissimis mendis plenus doctos a saturis diu deterruit; at nunc Franciscus Buechelerus, vir doctissimus, tanta cum diligentia Petronium curavit[1] ut ea menda pleraque feliciter sint sublata.

De ipsius Petroni aetate nihil hoc tempore scribendum esse statuimus quod de hac quaestione multum diuque a viris doctis disputatum est. Nam ut alios omittam, Studerus[2] et Buechelerus[3] hanc rem tam luculenter tamque copiose tractaverunt ut perdifficile sit novi quidquam et integri adferre. Sunt tamen duae aliae quaestiones de quibus fortasse operae pretium erit disputare; quarum altera pertinet ad tempora quibus Encolpius et reliquae saturarum personae vixisse finguntur, altera ad urbem in qua convivium Trimalchionis agitur. Has enim nemo, nisi fallimur, satis diligenter tractavit.

Quae cum ita sint, primum quaerendum est quibus temporibus Encolpius itinera sua fecerit. Qua de re viri docti multum inter se dissenserunt. Nam ut alios praeteream, Burmannus[4] res gestas Encolpi Claudianis temporibus adtribuit, Studerus Neronianis. Beck-

[1] Petronii Satirae et Liber Priapeorum. Tertium edidit Franciscus Buecheler. Berolini apud Weidmannos. MDCCCLXXXII.

[2] Mus. Rhen. nov. II. (1842–3) pp. 50–92; 202–23.

[3] Praef. ad ed. maior. pp. V–VIII.

[4] Intellexerat tamen Burmannus nonnulla in saturis ad imperatoris Augusti tempora pertinere. Haec enim in praefatione scripsit: 'His omnibus ego rite pensitatis, Tiberii, Caligulae et Claudii imperia attigisse Petronium puto, *immo Augusti adhuc felicia tempora vidisse.*'

6483-13

ius[1] autem, vir doctissimus, verum paene comprehendit; hoc tamen erravit quod ipsum Petronium extremo Augusti principatu vel primis annis quibus Tiberius imperium teneret, scripsisse statuit. Quasi vero necesse fuerit Petronio ut de suis tantum temporibus scriberet. Itaque Beckius magna ex parte, nisi fallimur, et oleum et operam perdidit. Nam Petronium circiter Neronis tempora scripsisse cum ipsarum saturarum genere et sermone, tum consensu Studeri, Franzi,[2] Teuffeli,[3] Buecheleri, Mommseni,[4] multorum aliorum[5] quos hic enumerare taedeat, luce clarius demonstratum duco. Hoc unum tamen Beckius satis probavit, multa apud Petronium esse quae ad Augusti tempora pertineant. Sed dum Petronium perscrutabatur, nonnumquam in errores incidit; quorum duos exempli gratia ponemus. Nam in commentariolo quod de aetate Petroni scripsit (p. 65) rem sic probare conatus est: 'Res ergo sic se habet. Ex quinque primis imperatoribus Tiberius et Nero patris patriae titulum recusaverunt; Claudium autem et Gaium umquam eum titulum accepisse nihil est quod indicet.' Ex quo effici existimat locum illum Petroni quo imperator pater patriae appellatur ad Octavianum pertinere. Atqui certo certius est et Gaium Caesarem[6] et Claudium[7] et Neronem[8] patris patriae titulum adsumpsisse. Neque opponi potest locus ille Suetoni (Vit. Ner. c. 8) quem profert Beckius; multi enim imperatores patris patriae nomen quod primo recusaverant, post aliquanto adsciverunt.[9] Deinde apud Petronium (c. 31) Encolpius dicit: 'Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus' (ad lavandum scilicet) 'aliisque insequentibus ad pedes ac paronychia cum ingenti subtilitate tollenti-

---

[1] In commentatione quae inscribitur: 'The Age of Petronius Arbiter.'

[2] C. I. G. III. p. 718.

[3] Mus. Rhen. nov. IV. p. 511; 'Gesch. der Röm. Litteratur' (1882), pp. 690, 692.

[4] Hermes XIII. (1878) p. 107.

[5] Iannellius (Cod. Perott. p. CXX) permultos alios enumeravit.

[6] Cass. Dio LIX. 3; C. I. L. II. 4639; 4640; 4962, 4. Cf. Eckhel. Doct. Num. VI. p. 222.

[7] Eckhel. VI. 234; C. I. L. III. 409; 476; 1977; 6024; 6060; V. 25; 5050; 5804; 8002; 8003; IX. 5426; 5759; 5973 et al.; Cass. Dio LX. 3.

[8] Eckhel. VI. 263; cf. C. I. L. III. 6123; VII. 12; XII. 512; 5459.

[9] Sueton. Vit. Vespas. c. 12; Cass. Dio LIX. 3; Vit. Hadrian c. 6; Vit. Anton. Pii c. 6; Eckhel. Doct. Num. VIII. p. 452.

bus.' Quem locum Beckius[1] adfert quo probet Petronium ante Neronis tempora scripsisse. Putat enim Petronium aquam decoctam, Neronis inventum, hoc loco memoraturum fuisse si Nerone regnante saturas suas composuisset. At quis umquam aqua decocta ad lavandum usus est? Suetonius[2] autem ipsum Neronem dicit nivatis piscinis tempore aestivo se refovere solitum esse.

Sed ut ad rem revertamur, Buechelerus[3] dubitat an Petronius incidisse Encolpi itinera finxerit in ultimos annos quibus regnabat Tiberius. Quocum consentit Teuffelius;[4] sed de horum opinione infra disputandum est. Mommsenus autem unus, quod sciam, sententiam quam probare instituimus in medium protulit; sed quamquam acutissime, ut solet, rem disputavit, tamen perpaucis tantum verbis quid sentiret exposuit.[5]

Si rationibus tantum res probanda esset, tamen valde credibile videretur Petronium periculi vitandi causa tempora a suis remota elegisse quae describeret. Nam etiamsi quinquennio illo Neronis, quod vocant, saturas suas composuisset, quod nullo certo argumento demonstrari potest, tamen cautius, opinor, scripsisset, memor casuum Prisci[6] et Cordi[7] et Scauri[8] et multorum aliorum, quorum scripta accusandi materiem delatoribus praebuerant. Nondum enim satis apparuerat qualis Nero evasurus esset. At postea, cum delatores Neronis multos falsis criminibus perderent, multo periculosius erat scriptori de sua aetate saturas componere. Quam facile autem fuisset incusandi causas in talibus scriptis reperire vel eo optime ostenditur, quod etiam nunc sunt qui Trimalchionis persona Neronem designari credant. Accedit quod multa in saturis ad illam partem Campaniae pertinent quam Nero maxime frequentabat.[9] Itaque nisi fallimur, necesse erat Petronio aut saturas suas occulere dum viveret aut tempora longe a suis remota describere. Quod etiam verisimilius sit si Petronium eundem esse putes quem commemorat Tacitus.[10]

---

[1] 'Age of Petronius Arbiter,' pp. 58, 102. [2] Vit. Neron. c. 27.

[3] Praef. ad ed. maior. p. VII. [4] 'Gesch. der Röm. Litteratur' (1882), p. 691.

[5] Hermes XIII. (1878) p. 111. [6] Tac. Ann. III. cc. 49–51. [7] Ibid. IV. cc. 34–5.

[8] Ibid. VI. 29; Cass. Dio LVIII. 24. Cf. Sueton. Vit. Tiber. c. 61 med. Hoc tamen sine dubio concedendum est, Neronem in talibus puniendis multo leniorem Tiberio fuisse; Tac. Ann. XIV. cc. 49–50; Sueton. Vit. Neron. c. 39.

[9] Tac. Ann. XIV. 4; 13; XV. 33; 51; 52; XVI. 10; 19. [10] Ibid. XVI. 17–18.

Sed quamquam hae rationes fortasse aliquid momenti habent, tamen non rationibus sed argumentis rem diiudicare oportet. Itaque ex saturis ipsis quaerendum est utrum Petronius Augusti tempora an Tiberi an Gai an Claudi an Neronis descripserit. Hoc unum tamen concedendum est, Augusti tempora et gratiorem et tutiorem materiem scriptoribus praebuisse quam reliquorum principatus.

His praemissis argumenta apud Petronium reperta proferamus. Quorum vel maximum est quod (c. 53) haec verba servata sunt: 'Et plane interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tanquam urbis acta recitavit: VII. kalendas Sextiles: in praedio Cumano, quod est Trimalchionis, nati sunt pueri XXX, puellae XL.' Quod neque casui neque neglegentiae tribuendum videtur: nam verbum illud 'Sextiles' in codice Traguriensi plane scriptum exstat, atque lectio difficilior est quam quae lapsu calami aut interpolatione facta sit. Sed 'mensis qui Sextilis fuerat ex senatus consulto Marcio Censorino C. Asinio Gallo coss.' (A.U.C. 746) 'in Augusti honorem dictus est Augustus, anno Augustano XX.'[1] Quod si verum est, Petronius Cenam Trimalchionis, quam vocant, post Galli et Censorini consulatum actam esse noluit. Nam quis credere potest eum tam neglegenter tamque inepte scripsisse ut Augustum mensem sine ulla causa Sextilem vocaret? Quae cum ita sint, multum miror quod Beckius hunc locum praeteriit; nisi forte ne nimium probaret veritus est. Buechelerus autem verba contra suam sententiam valentia silentio transiit. At Mommsenum ea verba non effugerant, qui multum auctoritatis iis tribuendum esse censuit.[2] Quae eo magis notanda sunt quod apud Petronium (c. 38) haec quoque leguntur: 'C. Pompeius Diogenes ex kalendis Iuliis cenaculum locat;' mensis enim qui antea Quintilis vocatus erat A.U.C. 710 Iulius dictus est.[3]

Ad hoc confirmandum accedit aliud argumentum, quod Beckius copiose exposuit.[4] Verba enim 'Augusto, patri patriae, feliciter' (c. 60) Tiberio certe non conveniunt, quod ille patris patriae titulum

---

[1] Censorin. de Die Natali c. 22 ad fin.; cf. Macrob. I. 12, 35; Cass. Dio. LV. c. 6; Sueton. Vit. Octav. c. 31.

[2] Hermes XIII. p. 111.

[3] Macrob. I. 12, 34; Censorin. de Die Natali c. 22 ad fin.; cf. Dion. XLIV c. 5; Sueton. Vit. Caes. c. 76.

[4] Quo tamen ille perperam usus est, ut supra diximus.

constantissime recusavit,[1] Augusti autem nomine perraro usus est.[2] Sed Octavianus senatus consulto Augustus appellatus est A.U.C. 727,[3] et patris patriae titulum iure adscivit A.U.C. 752.[4] Itaque constat verba Petroni ei quam optime convenire. Accedit quod (c. 77) apud Petronium legimus: 'Ad summam, Scaurus cum huc venit, nusquam mavoluit hospitari, et habet ad mare paternum hospitium.' Haec verba Trimalchionis ad aliquem ex Aemiliis Scauris pertinere[5] viri docti perquam probabiliter coniecerunt. Sed ea familia exstincta est in Scauro Mamerco,[6] qui A.U.C. 787, Tiberio regnante, sibi mortem conscivit. Itaque cum cena Trimalchionis neque Tiberi principatu neque post Mamercum mortuum acta sit, necesse est eam Augusti temporibus adtribuamus.

Aliud autem argumentum praebent verba Encolpi (c. 34): 'Statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.' Nam vinum illud pretiosissimum natum est A.U.C. 633, Lucio Opimio consule, cuius ex nomine Opimianum nominatum est.[7] Itaque si vinum Opimianum tempore cenae Trimalchionis centum tantum fuit annorum, cena A.U.C. 733 acta est. Sed nescio an Petronius verbum illud 'centum' pro paulo maiore numero posuerit; qua de re infra pluribus dicemus. Utcumque se ea res habuit, aetas vini multo melius Augusti temporibus convenit quam ceterorum principum. Nihil enim profecerunt Burman-

---

[1] Sueton. Vit. Tiber. cc. 26, 67; Dio LVII. 8; LVIII. 12; Tac. Ann. I. 72; II. 87; cf. Eckhel. Doct. Num. VI. p. 200.

[2] Sueton. Vit. Tiber. c. 26; cf. Dion. LVII. cc. 2, 8. At in nummis Tiberius Augusti titulum habet.

[3] Fast. Praenest. ad XVII. Kal. Febr.; Censorin. de Die Natali 21, 8; Dio LIII. 16; Mon. Ancyr. lat. 6, 13, p. 144 Mommsen.; cf. Ovid. Fast. I. 589; Liv. epit. lib. CXXXIV; Sueton. Vit. Oct. 7; Vell. Paterc. II. 91; C. I. L. X. 8375.

[4] Fast. Praen. ad Non. Febr.; Mon. Ancyr. lat. 6, 24, p. 153 Mommsen.; cf. Ovid. Fast. II. 119.

[5] Hac de re consentiunt Studerus (Mus. Rhen. nov. II. p. 219) et Beckius ('Age of Petr. Arbiter,' pp. 81–3) et Buechelerus (ed. tert. p. 126).

[6] Sen. Suas. II. 22 ed. Mueller.: 'Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia extincta est.'

[7] Cic. Brut. 83, 287, Plin. Hist. Nat. XIV. 55; ibid. XIV. 94; Vellei. Paterc. II. 7.

nus[1] et Buechelerus,[2] qui apertam verborum Petroni sententiam amoliri conati sunt. Nam sive vinum illud verum Opimianum erat sive falsum, Trimalchio, homo omnium iactantissimus, vinum suum quam vetustissimum videri voluit. Itaque verisimile est pittacia, quae speciei causa in amphoris erant adfixa, aetatem quasi veri Opimiani indicasse. Quae cum ita sint, Petronius cenam Trimalchionis circiter centum annis post L. Opimium consulem posuisse videtur.

Deinde Encolpius haec de Trimalchione narrat (c. 52): 'Ipse erectis supra frontem manibus Syrum histrionem exhibebat, concinente tota familia: Μάδεια, Περιμάδεια.'[3] Quae verba si cum capite 55 conferas, 'Syrum histrionem' notissimum illum mimum Publilium Syrum fuisse facillime suspiceris. Quod si verum est, Trimalchio Publilium agentem in scaena viderat; qui enim potuit 'exhibere' mimum nisi eum agentem aliquando vidisset? Publilius autem superstes fuit Caesari et Laberio,[4] sed quo anno mortuus sit non traditum est. Itaque si Trimalchio Publilium in scaena agentem viderat, paene efficitur cenam Augusti aetate actam esse.

Quintum autem argumentum praebent verba quae c. 2 scripta legimus: '*Nuper* ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit animosque invenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit.' Hunc locum Beckius copiose docteque tractavit;[5] vereor tamen ne parum auctoritatis verbis Petroni adtribuerit. Nam Dionysius Halicarnassensis, qui Augusti Caesaris temporibus floruit, de Asiatica eloquentia sic scripsit:[6] *ἡ μὲν Ἀττικὴ Μοῦσα καὶ ἀρχαία καὶ αὐτόχθων ἄτοπον εἰλήφει σχῆμα, τῶν ἑαυτῆς ἐκπεσοῦσα ἀγαθῶν· ἡ δ' ἔκ τινων βαράθρων τῆς Ἀσίας*

[1] Burmannus in adnot. ad loc. haec scripsit: 'Potuit et titulus ille affixus fuisse anno centesimo post Opimii consulatum et ita mutato possessore ad Trimalchionem venisse, qui plura sibi a patrono relicta iactat c. 52.' Sed haec coniectura incertissima est.

[2] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

[3] Haec verba, quae in codice Traguriensi non Graecis litteris sed vulgaribus sunt scripta, Buechelerus principium cantici saltatorii fuisse putat. Quod si verum est, fortasse id canticum pars mimi erat.

[4] Sueton. p. 295, 22 Roth.; Hieron. Chron. ad Olymp. CLXXXIV; Cic. ad Att. XIV. 2, 1; cf. Macrob. II. 7, 6–9.

[5] 'Age of Petronius Arbiter,' pp. 50–51.

[6] Iud. de ant. orat. praef. c. 1. Fortasse Petronius hunc Dionysi locum imitatus est. Cf. Sueton. Oct. c. 86; Plut. Anton. c. 2.

ἐχθὲς καὶ πρώην ἀφικομένη Μοῦσα ἢ Φρυγία τις ἢ Καρικόν τι κακὸν ἢ βάρβαρον Ἑλληνίδας ἡξίου διοικεῖν πόλεις, ἀπελάσασα τῶν κοινῶν τὴν ἑτέραν, ἡ ἀμαθὴς τὴν φιλόσοφον καὶ ἡ μαινομένη τὴν σώφρονα. Quae Encolpi verbis tam consimilia sunt ut facile conicias Petronium eum in iisdem fere temporibus posuisse quibus Dionysius vixerit. Quod si verum est, verbum illud 'nuper' facile intelligi potest; sed si sententiam Studeri aut Buecheleri sequeris, difficilius erit ad explicandum. Nam verum quidem est quod Beckius dicit, *nuper* nonnumquam pro longo temporis spatio poni; sed hoc plerumque non fit nisi contextus orationis clare indicat scriptorem tempus longum quidem illud sed brevius tamen alio quodam tempore eo verbo significare voluisse.

Bene autem congruunt quae Encolpius de more declamandi dicit (cc. 1, 2) cum verbis Cassi Severi,[1] qui Augusti et Tiberi temporibus floruit: 'Indicabo tibi affectum meum; cum in foro dico, aliquid ago: cum declamo, id quod bellissime Censorinus aiebat de his qui honores in municipiis ambitiose peterent, videor mihi in somniis laborare. Deinde res ipsa diversa est: totum aliud est pugnare, aliud ventilare. Hoc ita semper habitum est, scholam quasi ludum esse, forum arenam. Et ideo ille primum in foro verba facturus tiro dictus est. Agedum istos declamatores produc in senatum, in forum; cum loco mutabuntur; velut adsueta clauso et delicatae umbrae corpora sub divo stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt; adsuerunt enim suo arbitrio disertos esse. Non est quod oratorem in hac puerili exercitatione spectes. Quid si velis gubernatorem in piscina aestimare?'

Deinde animadvertendum est quod Encolpius ita de Crotone loquitur: 'Cum deinde diligentius exploraremus qui homines inhabitarent nobile solum, quodve genus negotiationis praecipue probarent post attritas bellas frequentibus opes.' Quo de loco Buechelerus: 'Iter facientes dicuntur a vilico quaesivisse quod genus negotiationis Crotoniatae praecipue probarent post attritas bellis frequentibus opes tamquam etiam tum civitas illa in sua, non in populi Romani potestate atque universa Italia non dudum pacata esset.'[2] Sed vix credibile est Petronium tam negligenter scripsisse; nam Croton circiter

[1] Sen. Controv. praef. lib. III. 12–14. Verba Petroni et Severi consimilia esse concedit Studerus, Mus. Rhen. nov. II. p. 215.

[2] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

A.U.C. 560 in potestatem Romanorum revenerat indeque in ea condicione manserat.[1] Itaque, nisi fallimur, verba illa 'post attritas bellis frequentibus opes' spectant non solum ad damna longe ante accepta sed etiam ad inopiam quae bella civilia paulo ante Augusti principatum gesta consecuta est.[2]

Denique Eumolpus poeta haec dicit (c. 88): 'Ipse senatus, recti bonique praeceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet, et nequis dubitet pecuniam concupiscere, Iovem quoque peculio exornat.' Sed verba illa 'recti bonique praeceptor' optime conveniunt iis temporibus cum Augustus per senatum populum Romanum ad pristinos mores reducere conaretur.

Haec fere sunt quae maxime nos adduxerunt ut itinera Encolpi in priorem partem Augusti principatus incidisse crederemus. Sed fortasse operae pretium est rem propius inspicere ut tempora Encolpi quam accuratissime definiantur. Itaque quo id facilius fiat, series rerum et temporum hoc loco adponenda est.

(1) Octavianus senatus consulto 'Augustus' appellatus est A.U.C. 727. Sed convivae Trimalchionis imperatorem 'Augustum' vocant (c. 60); itaque cena Trimalchionis post eum titulum datum agitur.

(2) Eumolpus dicit (c. 118): Refugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate et sumendae voces plebe semotae, ut fiat 'odi profanum vulgus et arceo.'[3] Quo autem tempore Horatius ea verba scripserit edideritve incertum est. Plerique tamen critici sex prima carmina libri tertii circiter A.U.C. 726–8, id est, haud ita longe post bellum Actiacum, eo fere tempore quo Augustus mores populi corrigere instituebat, scripta esse statuerunt. Itaque sermonem Eumolpi aliquanto post id tempus habitum esse facillime conicias.

(3) Vinum Trimalchionis 'Falernum Opimianum annorum centum' dicitur (c. 34). Sed vinum Opimianum annorum centum fuit A.U.C. 733. Neque tamen necesse est verbum illud 'centum' proprie accipias; eiusmodi enim verba saepe pro paulo maioribus minoribusve numeris ponebantur quo brevior et concinnior fieret di-

[1] A.U.C. 560 colonia Romana Crotona deducta est. Liv. XXXIV. 45.

[2] Sextus Pompeius oram Bruttii diripuerat; Appian. Bell. Civ. V. 19.

[3] Hor. Od. III. 1, 1.

cendi scribendive ratio. Itaque nihil obstat quin Petronium cenam Trimalchionis paulo plus centum annis post L. Opimium consulem posuisse credas.

(4) Sine dubio Aeneis Vergili prius aliquanto edita est quam ea pars saturarum quae hodie exstat acta est. Personae enim saturarum haud raro versus ex Aeneide depromptos in sermonibus proferunt.[1] Aeneis autem post Vergili mortem edita esse traditur. Sed Vergilius e vita decessit A.U.C. 735; itaque ea pars saturarum quae exstat post id tempus acta est. Constat autem ex testimoniis antiquorum Aeneida et ante Vergili mortem avide exspectatam[2] et eo mortuo cito pervulgatam esse.[3] Itaque non mirum est si aliquot annis post Vergilium mortuum etiam Trimalchio, homo indoctissimus, versus ex Aeneide memoriter proferre potuit.

Haec fere sunt quae tempora a Petronio descripta 'a parte ante,' ut scholastici dicebant, definire videantur. Itaque reliquum est ut et 'a parte post' ea definiamus.

(1) Imperator pater patriae vocatur (c. 60). Sed Tiberius, ut supra diximus, eum titulum accipere nolebat. Itaque cum multis de causis itinera ab Encolpio facta in Gai principatum aut Claudi aut Neronis incidisse non possint, constat patrem illum patriae Augustum fuisse. Sed Augustus mortuus est A.U.C. 767; itaque cena Trimalchionis ante id tempus acta esse fingitur. Augustus autem, quamquam A.U.C. 752 patris patriae titulum iure adsumpsit, tamen antea aliquanto pater patriae a populo vocabatur.[4] Itaque licet cenam Trimalchionis aliquanto ante eum titulum adsumptum actam esse putes.

(2) Octavus mensis anni Sextilis vocatur (c. 53). Sed mensis qui antea Sextilis fuerat A.U.C. 746 Augustus dictus est. Itaque cena Trimalchionis ante id tempus acta est.

Quae cum ita sint, hanc fere rerum et temporum seriem habemus.

---

[1] Hoc faciunt Trimalchio (c. 39) et Eumolpus (cc. 111, 112). Servus autem Habinnatis Aeneida recitat (c. 68) et ipse Encolpius, rerum gestarum narrator, Vergilianos versus bis profert (cc. 61, 132). Cf. c. 68, 'Miscebat Atellanicos versus ut tunc primum me etiam Vergilius offenderit'; c. 118, 'Homerus testis et lyrici Romanusque Vergilius et Horatii curiosa felicitas.'

[2] Propert. II. 34, 65–6.

[3] Ovid. Amor. I. 15, 25; Trist. II. 533; Art. Am. III. 337; Sueton. de Grammat. c. 13. [4] Dio LV. 10; cf. C. I. L. II. n. 2107 (A.U.C. 748); ibid. I. p. 386.

Octavianus 'Augustus' appellatus est	A.U.C.	727.
Hor. Carm. III. 1, 1 scriptum est circiter (?)	" " "	726–8.
Falern. Opim. centum annorum erat	" " "	733.
Vergilius mortuus est	" " "	735.

TEMPUS SATURARUM

Sextilis 'Augustus' dictus est	A.U.C.	746.
Augustus 'pater patriae' iure vocatus est	" " "	752.
Augustus mortuus est	" " "	767.

Ea autem quae ab Encolpio narrantur non multum inter se distant tempore; quod ex consequentia rerum licet concludamus. Itaque et cena Trimalchionis et reliqua pars saturarum quae hodie exstat post mortem Vergili (A.U.C. 735) sed ante Galli et Censorini consulatum (746) actae esse videntur. Fortasse igitur haud ita multum erres si Encolpium circiter A.U.C. 740 in Campania et Crotone fuisse putes. Sic enim, nisi fallimur, voluit Petronius.

Hac nostra sententia exposita, deinde tractanda sunt omnia quae contra eam facere videantur. Quare necesse est duo argumenta, quae Buechelerus protulit ut sententiam suam probaret, perscrutemur. Quorum alterum pertinet ad fabulam quam Trimalchio de fabro vitri ductilis narrat (c. 51), alterum ad cognomen Trimalchionis. Itaque prius, ut videtur, de fabula disputandum est. Quae et ab aliis scriptoribus narratur; cf. Plin. Hist. Nat. XXXVI. 195: 'Ferunt Tiberio principe excogitato vitri temperamento, ut flexile esset, totam officinam artificis eius abolitam ne aeris argenti auri metallis pretia detraherentur, eaque fama crebrior diu quam certior fuit.' Similia refert Cassius Dio (LVII. 21), qui et alias nugas praeposuit: *κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον* (A.U.C. 776) *καὶ στοὰ μεγίστη ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἐπειδὴ ἑτεροκλινὴς ἐγένετο, θαυμαστὸν δή τινα τρόπον ὠρθώθη. ἀρχιτέκτων γάρ τις, οὗ τὸ ὄνομα οὐδεὶς οἶδε, τῇ γὰρ θαυματοποιίᾳ αὐτοῦ φθονήσας ὁ Τιβέριος οὐκ ἐπέτρεψεν αὐτὸ ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι, οὗτος οὖν, ὅστις ποτὲ ὠνομάζετο, τούς τε θεμελίους αὐτῆς πέριξ κρατύνας ὥστε μὴ συγκινηθῆναι, καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν πόκοις τε καὶ ἱματίοις παχέσι περιλαβών, σχοίνοις τε πανταχόθεν αὐτὴν διέδησε, καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν ἕδραν ἀνθρώποις τε πολλοῖς καὶ μηχανήμασιν ὠσάμενος ἐπανήγαγε. τότε μὲν οὖν ὁ Τιβέριος καὶ ἐθαύμασεν αὐτὸν καὶ ἐζηλοτύπησε, καὶ διὰ μὲν ἐκεῖνο χρήμασιν ἐτίμησε, διὰ δὲ τοῦτο ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασε. μετὰ δὲ ταῦτα προσελθόν-*

τος οἱ αὐτοῦ καὶ ἱκετείαν ποιουμένου, κἂν τούτῳ ποτήριόν τι ὑαλοῦν καταβαλόντος τε ἐξεπίτηδες καὶ θλασθέν πως ἢ συντριβὲν ταῖς τε χερσὶ διατρίψαντος καὶ ἄθραυστον παραχρῆμα ἀποφήναντος, ὡς καὶ συγγνώμης διὰ τοῦτο τευξομένου, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτόν. Quod si quis credit vix idoneus est qui historiam scribat. Buechelerus tamen rem sic probare conatus est: 'Nam qui in capite 51 dicitur Caesar, id est imperator, Tiberius Augustus est qui anno post Christum 22 fabrum illum vitri ductilis interfecit.'[1] Quasi vero haec fabula, quam Petronius Trimalchioni, homini credulo et indocto, narrandam adtribuit quamque ipse Plinius incertissimam esse censuit, pro vera et certa historia accipienda sit. Tacitus enim, gravissimus auctor, nihil tale tradidit; Plinius autem, qui ipse A.U.C. 776 natus est cuique optimae facultates erant ad verum cognoscendum, de fabula illa scripsit 'eaque fama crebrior diu quam certior fuit.' Accedit quod Petronius et Plinius rem simpliciter narrant; sed Dio fabulam examplificavit et exornavit quo et artifex peritior et Tiberius crudelior viderentur. Nam eiusmodi fabulae 'mobilitate vigent viresque adquirunt eundo,' et Dio circiter centum annis post Plinium vixit. Atque, si dis placet, eam ipsam fabulam de imperatore quodam Austriae, quam vocant, huius aetatis homines narrare solent, quod me legere memini.[2] Quae cum ita sint, ipsius Buecheleri verbis licet utamur: 'Licuit in hoc genere fabularum, quod a morosa subtilitate alienum ingenuam sequitur festivitatem, et antiquiora et posteriora neglegentius admiscere.' Quae ille de vino Opimiano Trimalchionis scripsit; at pace tanti viri dixerim, multo magis in hunc locum conveniunt.[3]

Alterum argumentum quod Buechelerus profert multo speciosius est. Trimalchio enim haec verba dicit (c. 71): 'Inscriptio quoque vide diligenter si haec satis idonea tibi videtur: C. Pompeius Trimalchio Maecenatianus hic requiescit.' Quo de loco scripsit Buechelerus: 'Deinde Maecenatianus Trimalcio vocatur: fuerat igitur ut parvolus puer ex Asia venit Romam, in manu Maecenatis anno urbis 746 mortui, ante quam in familiam Gai Pompei, hominis Campani,

[1] Praef. ed. maior. p. VII.

[2] Eadem fabula de Gallo Richelieu narratur; cf. Wallace-Dunlop. 'Glass in the Old World,' p. 242.

[3] Cf. Mommsen. Hermes XIII. p. 112: 'Denn, selbst die historische Richtigkeit des wenig plausiblen Geschichtchens zugegeben, konnte der Dichter sehr wohl chronologisch in freierer Weise mit ihm schalten.'

adsumptus est. Huic domino, a quo et ipse et colliberti nomen traxere, quattuordecim annos erat ad delicias, plures etiam serviebat: denique manu missus et per hereditatem atque negotiationem fortunis locupletatus luxu transigebat primam senectutem vitaeque restare annos triginta sibi persuaserat, cum Encolpios in coloniam eiusque domum devertit. Haec si contenderis cum agnomine[1] Maecenatiani, in definiendo tempore cenae vix poteris ultra imperium Tiberii progredi.'[2] Haec quidem et speciosa sunt et nostrae sententiae repugnant. Nam Trimalchio tempore cenae 'senex calvus' erat (c. 27) vitaeque restare 'annos triginta et menses quattuor et dies duos' sibi persuaserat (c. 77; cf. cc. 75, 76). Itaque illo tempore quadraginta certe annos natus erat, aut potius ad quinquagesimum vel sexagesimum annum pervenerat. Quae cum ita sint, si cenam circiter A.U.C. 740 actam esse recte statuimus, ille non 'fuerat ut parvolus puer ex Asia venit Romam, in manu Maecenatis'; tunc enim, ut videtur, et ipse Maecenas 'parvolus puer' erat.[3] Sed praeter ipsum cognomen nulla profecto causa est cur Trimalchionem clarissimo illo Maecenati, Augusti amico, umquam servisse putes.[4] Nam Trimalchio quamquam de servitute sua liberrime loquitur (cc. 69, 75, 76), nihil tamen de Maecenate dicit, nihil de priore domino.[5] Sed quis credere potest Trimalchionem nihil de potentia et divitiis Maecenatis dicturum esse, si quidem ei umquam servisset? Fortasse tamen Trimalchio alii Maecenati servierat; erant enim et alii.[6] Sed nobis quidem multo verisimilius videtur Petronium in talibus rebus non ita curiosum fuisse.

---

[1] Cognomen est, non agnomen; nam verbum illud 'agnomen' finxerunt grammatici. [2] Praef. ad ed. maior. p. VII.

[3] Maecenatem circiter A.U.C. 685 natum esse probabiliter conclusit Meibomius in Vit. Maecenatis.

[4] Orellius Trimalchionem Maecenatis liberti libertum fuisse putabat (Inscr. Lat. I. p. 287); perperam tamen, ut infra demonstrabimus.

[5] Dominus cui Trimalchio quattuordecim annos ad delicias fuerat cuique heres factus erat (cc. 75, 76) Gaius Pompeius fuit. Cave tamen putes eum propinquum Cn. Pompei Magni fuisse; nam Pompei Magni familia Gaio praenomine non utebatur (Mommsen. Hermes XIII. p. 118). Trimalchionem puerum Romae fuisse ex capite 29 ('Ipse Trimalchio capillatus . . . Romam intrabant') coniecerunt viri docti; sed ipse Trimalchio nihil tale dicit.

[6] C. Maecenas, eques Romanus, commemoratur a Cicerone, Or. pro Cluentio, 56, 153. Quem patrem clari illius Maecenatis fuisse non recte coniecerunt viri

Gravia autem sunt quae Mommsenus de servorum et libertorum cognominibus protulit. Is enim conlatis exemplis rem sic exposuit.[1] Imperatorum propinqui et viri potentium nobiliumque gentium permultos servos habebant, inter quos multi eiusdem cognominis erant. Itaque quo facilius distinguerentur, moris erat ut servi qui a viris potentissimarum gentium emerentur sua quisque cognomina a priorum dominorum nominibus cognominibusve tracta acciperent. Neque tamen cognomina quae antea habuerant amittebant, sed novum cognomen priori adiungebatur. Qui autem liberti facti erant simili de causa duo cognomina habebant. Itaque si qui de libertis duo cognomina possidebant, paulo honestiores ceteris habebantur quod nobilissimorum et ditissimorum virorum liberti essent.

Haec fere Mommsenus;[2] quibus pensitatis credimus Petronium duobus de causis Maecenatiani cognomen Trimalchioni dedisse, ut et adrogantiam et mollitiem eius salsissime ostenderet. Nam et adrogantis hominis erat alterum cognomen arbitrio suo sibi adsumere quo honestior videretur, et Maecenas mollitie famosissimus erat.[3] Licet autem Trimalchionem Maecenatiani cognomen domi inter cives suos non habuisse suspiceris. Nam in fascibus seviralibus, qui in postibus triclinii fixi erant, hoc erat scriptum (c. 30): 'C. Pompeio Trimalchioni, seviro Augustali, Cinnamus dispensator.' Sed si Trimalchio alterum cognomen iure habuisset, constat Cinnamum eo usurum fuisse quo maiorem honorem domino suo daret. Atque, ut supra diximus, Trimalchio nihil de Maecenate dicit. Itaque, nisi fallimur, homo ille iactantissimus, quamquam re vera Maecenati numquam servierat, tamen Maecenatiani cognomen in monumento suo inscribi voluit quo

---

docti; patri enim amici Augusti Lucio praenomen erat; C. I. L. VI. 21771. Scriba autem Sertori Maecenas appellatus est; Sallust. ap. Servium ad Aen. I. 698.

[1] Hermes II. 158; XIII. 117; cf. Marquardt. 'Privatleben d. Röm.,' ed. alt. I. pp. 21–2; Willmann. Ex. Inscr. Lat., II. pp. 404–5.

[2] Nihil tamen ad rem pertinent quae Mommsenus (Hermes XIII. p. 118) de gente Maecenatis dicit; nam quamquam equestri genere natus est, tamen servis quos Augusto et Liviae testamento reliquerat Maecenatiani cognomen datum est (C. I. L. VI. 4016; 4032; 4095). Est autem titulus, Minturnis inventus (C. I. L. X. 6014): 'Baebiae P. f. Priscae P. Baebi Patrophili T. Numisius Numisianus Maecenatianus ponendam mandavit. L. d. d. d.' Hunc Numisium libertum fuisse cuiusdam T. Numisi qui eum a Maecenate aut emisset aut accepisset, licet conicias.

[3] Cf. Iuv. Sat. I. 66; XII. 39; Sen. Epist. Mor. 114, 4–8.

honestior advenis legentibus videretur. Quod et reliquae eius insolentiae optime convenit. Itaque Maecenatiani cognomen nobis non adversatur.

Sed apud Petronium (c. 78) et haec scripta legimus: 'Itaque vigiles, qui custodiebant vicinam regionem, rati ardere Trimalchionis domum, effregerunt ianuam subito et cum aqua securibusque tumultuari suo iure coeperunt.' Ex quo Ludovicus Friedlaenderus cenam Trimalchionis Puteolis agi conclusit,[1] conlato loco Suetoni (Vit. Claud. 25): 'Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit' (Claudius). Quae ratio nostrae sententiae quam maxime repugnat. At Buechelerus Friedlaenderi opinionem praeclare sic refutavit:[2] 'Nihil enimvero cogit ut in illis militari more institutos ab Augusto vigiles respici credamus. Nonne Amphitruonis aetate, si dis placet, Thebis 'rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat?'[3] Nonne Agrigenti cum Verres templum spoliatum iret, vigiles fanique custodes sustulere clamorem?[4] Nonne Romae ante Augustum tres viri nocturni vigilibus et vigilibus praeerant?[5] Itaque cohors vigilum defuit Neapoli, defuisse vigiles qui noctu regionem custodirent inhibendorum incendiorum caussa frequentiori urbi cuiquam nego.' Accedit quod in Luguduni et Nemausi inscriptionibus praefecti vigilum commemorantur, ut Mommsenus demonstravit.[6] Denique ipse Friedlaenderus opinionem priorem nuper reiecit.[7] Itaque non operae pretium est hanc rem fusius tractare.

Deinde tangenda sunt quae Petronius de arte picturae scripsit (cc. 2, 83, 88). Qua de re Beckius copiose docteque disputavit;[8] neque tamen sine errore. Nam Plinius et Petronius de picturae exitu optime inter se consentiunt; qua ex re Beckius hunc saturas composuisse paulo ante quam ille Historiam Naturalem confecisset concludere voluit.[9] At non solum Plinius sed etiam Vitruvius, qui Augusti tempo-

---

[1] Praef. Ind. Schol. Regiomont. hiemis anni 1860–61.

[2] Praef. ad ed. maior. p. VIIII. [3] Plaut. Amph. I. 1, 195.

[4] Cic. Verr. Act. II. Lib. IV. 43, 94.

[5] Mommsen. 'Staatsrecht,' ed. alt. vol. II. p. 580 adn.; cf. Schol. ad Iuv. Sat. 13, 157.

[6] Hermes XIII. p. 112; C. I. L. XII. nn. 3002, 3210, 3223, 3232, 3247, 3259, 3274, 3296, 3166.

[7] 'Jahresber. ü. d. Fortschr. d. Alterthümswissenschaft,' 1878, 2 d. Th. p. 171.

[8] 'Age of Petronius Arbiter,' pp. 52–4; cf. 87–9. [9] Ibid. p. 102; cf. p. 53.

ribus floruit, dilapsam picturae artem deploravit.[1] Itaque quamquam Petronius Neronis temporibus vixisse videtur, tamen non mirum est si Encolpium et Eumolpum de picturae exitu circiter A.U.C. 740 locutos esse finxit. Beckius autem putat ipsum Petronium Zeuxidis et Apellis et Protogenis tabulas Romae vidisse indeque eas ad urbem Campaniae quasi fictione quadam transtulisse.[2] At fortasse tabulae illae Augusti temporibus in urbe Campaniae fuerant;[3] quod cum sciret Petronius, Encolpium ibi eas vidisse finxit.

Trimalchio autem sevir Augustalis fuit (c. 30; cf. 71) et Hermeros sevir gratis factus est (c. 57). Itaque operae pretium est quaerere quo tempore Augustalium ordo institutus sit. Qua de re viri docti multum diuque dissenserunt. Sed ut vetera et incerta omittamus, tres inscriptiones inventae sunt[4] ex quibus constat ordinem illum ante Augustum mortuum constitutum esse. His autem pensitatis, Mommsenus ordinem priore parte Augusti principatus ortum esse probabiliter conclusit.[5] Quod etsi incertius est, tamen nostram sententiam confirmare videtur. Nam quod origo Augustalium etiam nunc obscura est,[6] necesse est ad optimam rationem confugiamus. Hoc tamen vel certissimum est, neminem Augustalium ordinem post id tempus constitutum esse umquam demonstravisse.

Est autem fragmentum Petroni in vetere glossario (fr. XVI. Buech.): 'Satis constaret eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam.'[7] Ex quo coniciat aliquis Encolpium post

[1] Vitruv. VII. 5. [2] 'Age of Petronius Arbiter,' p. 52; cf. p. 87.

[3] Cf. Plin. Hist. Nat. XXXV. 147: 'Iaia cyzicena . . . pinxit Neapoli anum in grandi tabula.' Pinacothecam autem Neapolitanam commemorat Philostratus (proem. ad 'Imagines' c. 4); sed ille Severi temporibus vixit; cf. Suid. s. v. Philostratus. Fortasse tamen pinacothecas et tabulas clarorum pictorum in urbibus Campaniae fuisse licet concludas.

[4] C. I. L. III. 1769; V. 3404; X. 6104 (='Bull. dell' Inst.' 1873, p. 87). Cf. Marquardt. 'Staatsverwaltung,' ed. alt. I. p. 200 adn. 1; Schmidt. de Seviris August. pp. 123–4; Hirschfeld. 'Zeitschrift f. Oest. Gymnasien,' 1878, p. 289 seqq.

[5] 'Staatsrecht,' III. p. 454 adn. 1: 'Nimmt man hinzu dass zwischen der Einrichtung und ihrem Auftreten auf den Inschriften doch ein gewisser Zeitraum liegen muss, so wird man eher geneigt sein sie in die frühere als in die spätere Periode Augusts zu setzen.'

[6] Cf. Marq. 'Staatsverwaltung,' ed. alt. I. p. 197 seqq.; Schmidt. de Sev. Aug. p. 122 seqq. 'Adhuc sub iudice lis est.'

[7] Hoc fragmentum, quod Danielus in vetere glossario S. Dionysi invenit, ex quarto decimo libro saturarum tractum esse coniecit Buechelerus (ed. maior. p. 211).

Cryptam Neapolitanam factam in Campania fuisse. Itaque ne quis putet hoc fragmentum nostrae sententiae repugnare, quaerendum est quo tempore Crypta Neapolitana fossa sit. Qua de re nihil certum traditur nisi Strabonis testimonium (p. 245): τοῦ Κοκκηίου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα ἐκείνην[1] τε καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις. Sed L. Cocceius cuniculum Cumis fecit circiter A.U.C. 717;[2] igitur si Crypta Neapolitana eodem fere tempore facta est, ut Belochius coniecit, nulla profecto causa est cur illud fragmentum nobis opponatur.

Deinde e locis quos Studerus protulit[3] unus contra nos facere videtur. Pedes enim convivarum Trimalchionis a pueris ungebantur (c. 70); quo de more Plinius (Hist. Nat. XIII. 22) haec scribit: 'Vidimus etiam vestigia pedum tingui, quod monstrasse M. Othonem Neroni principi ferebant.' Quem locum protulit Studerus quo Petronium Neronis temporibus vixisse probaret. Sed quamquam Petronius tunc vixisse a plerisque creditur, tamen locus ille satirarum nihil tale indicat. Scripsit enim Petronius: 'Pudet referre quae secuntur: *inaudito enim more* pueri capillati attulerunt unguentum in argentea pelve pedesque recumbentium unxerunt.' Ex quo adparet pedes unguere tunc mirum et inusitatum fuisse. Itaque non est quod hunc locum ad Neronis tempora spectare putes.

Est autem mirum quoddam fragmentum (XVIII. Buech.): 'Affer nobis, inquit, alabastrum Cosmiani.' Sed Cosmus, unguentarius notissimus, Martialis et Iuvenalis temporibus vixit.[4] Itaque hoc fragmentum non solum nostrae opinioni sed etiam Burmanni et Becki et Buecheleri sententiis adversatur. Sed a Perotto, recentioris aetatis scriptore,[5] traditur; atque, id quod Buechelerus praeclare demonstravit,[6] iam inde a septimo post Christum saeculo nemo pleniorem quam nos Petronium in manibus habuit. Itaque paene constat hoc

[1] Sc. τὴν ἐπὶ Κύμῃ. Cf. Beloch. 'Campanien,' p. 131. Hic locus Strabonis suspectus est (cf. Duebner. in ed. Didot. Strabonis, p. 973). Belochius tamen eum vindicat ('Camp.' p. 84).

[2] Cass. Dio XLVIII. 50; cf. Strab. p. 245. De L. Cocceio cf. C. I. L. X. 1614; 3707.

[3] Mus. Rhen. nov. II. p. 222.

[4] Mart. I. 87, 2; III. 82, 25–6; XI. 8, 9; XII. 65, 4–5; XIV. 59; 110, et al.; Iuv. Sat. VIII. 86 et Schol.

[5] 'Cornu copiae' Nicolai Perotti editum est circiter A.D. 1513.

[6] Praef. ad ed. maior. p. XI.

fragmentum errore Petronio a Perotto adtributum esse; qua de causa Buechelerus stellula id denotavit.

Deinde nomina virorum et feminarum quae apud Petronium inveniuntur tractanda sunt. His enim viri docti saepe abusi sunt ad suas sententias probandas. Itaque nonnumquam in miros errores inciderunt; quorum unum exempli causa adponemus. Magnus ille Niebuhrius[1] sibi persuaserat Petronium Severi imperatoris temporibus vixisse; quod ex inscriptione quadam (Orelli n. 1175) temere coniecerat, deceptus similitudine nominum. Itaque ut sententiam suam probaret, locum Petroni (c. 69) adtulit: 'Sic me salvum habeatis ut ego sic solebam ipsam Mammaeam debattuere ut etiam dominus suspicaretur; quem ad Mammaeam, Severi matrem spectare credidit. Sed Buechelerus veram lectionem 'ipsumam meam,' id est *dominam meam*, revocavit.

Sed ut ad rem revertamur, seriem nominum quae in quaestionem veniunt hic adponemus.

(1) In editione Buecheleri legimus (Fr. VI.): '(Satura) sola est quae modum imponit furentibus, licet Petroniana subet *Albucia*.' Hanc Albuciam eandem fuisse quae a Tacito (Ann. VI. 47, 48) commemoratur coniecit Munkerus.[2] Sed haec coniectura vel incertissima est. Primum enim feminae cuius Tacitus meminit non Albuciae nomen erat sed Albucillae. Deinde hoc fragmentum ex opere Fulgenti, hominis neglegentissimi et levissimi,[3] tractum est; qua de causa Buechelerus stellulam ei ut dubio adposuit. Denique similitudo nominum nullo modo sufficit ad rem probandam nisi et aliis argumentis confirmatur.

(2) Haec quoque apud Petronium (c. 64) legimus: 'Quid saltare? Quid diverbia? Quid tonstrinum? Quando parem habui nisi unum Apelletem?' Hunc locum ad Apellem tragoedum[4] qui Gai Caesaris temporibus floruit quemque Cassius Dio (LIX. 5) *τὸν εὐδοκιμώτατον*

---

[1] 'Denkschriften d. Berlin. Akad.,' 1823, II. p. 251 seqq.; cf. Studer. Mus. Rhen. nov. II. p. 71; Beck. 'Age of Petronius Arbiter,' pp. 35, 36; Buecheler. praef. ad ed. maior. p. III.; Mommsen. Herm. XIII. p. 106 adn.; Orelli Inscr. Lat. I. p. 257. [2] Ad Fulgentium I. p. 23; cf. Studer, Mus. Rhen. nov. II. p. 221.

[3] Zink. 'Fulgentius,' p. 93.

[4] Cf. Sueton. Calig. 33: 'Inter varios iocos cum assistens simulacrum Iovis Apellem tragoedum consuluisset uter illi maior videretur, cunctantem flagellis discidit, collaudans subinde vocem quasi etiam in gemitu perdulcem.'

τῶν τότε τραγῳδῶν fuisse dicit, pertinere coniecit Studerus.[1] Vereor tamen ne hoc incertius sit quam quod pro vero accipiatur. Nam si modo verba Trimalchionis: 'Tibi dico Plocame, nihil narras? Nihil nos delectaris? Et solebas suavius esse, belle *diverbia* dicere, *melica* canturire,' cum verbis Plocami: 'Quid saltare? Quid *diverbia?* Quid *tonstrinum?*' conferes, Plocamum comoedias recitare solitum esse concludes. 'Diverbia' enim comoediae[2] partes erant, trimetris iambicis scriptae, quae sine cantu et tibiis recitabantur; et nisi fallimur 'melica' vox hoc loco ad cantica comoediarum pertinet. Quid autem 'tonstrinum' vox significet non satis liquet; sed fortasse, id quod vir doctissimus mihi nuper proposuit, nomen erat mimi quem Plocamus agere solitus fuerat.[3] Itaque si his in rebus Plocamus nullum parem habuit nisi unum Apellem, paene efficitur hunc Apellem non tragoedum sed comicum fuisse. Accedit quod 'Apelles'[4] et cetera eiusmodi nomina saepissime nobis occurrunt et apud scriptores antiquos et in titulis. Denique sine dubio multi comici et tragoedi fuerunt quorum nomina tantum servata sunt,[5] multi etiam quorum ne nomina quidem novimus. Quae cum ita sint, non est quod verba Plocami ad 'Apellem tragoedum' spectare concludas.

(3) Deinde Trimalchio talia iactat (c. 52): 'Nam Hermerotis pugnas et Petraitis in poculis habeo, omnia ponderosa; meum enim intelligere nulla pecunia vendo.' Cf. c. 71; 'Valde te rogo ut secundum pedes statuae meae catellam ponas et coronas et unguenta

---

[1] Mus. Rhen. nov. II. p. 219.

[2] Cf. Diomed. p. 491 Keil: Donat. de Comoedia ad fin. et al. Sed scriptores antiqui nusquam, quod sciam, tragoediae partes 'diverbia' esse adfirmant. Quod casui tribuendum esse non videtur. Cf. tamen Ribbeck. 'Römische Tragoedie,' pp. 633–7.

[3] Nescio an hoc vocabulum idem fere significet quod 'tonstrina'; cf. 'pistrinum,' 'pistrina,' 'ustrinum,' 'ustrina.' Sed fortasse 'artificium' subaudiendum est; quod confirmari videtur alio loco saturarum ubi 'tonstreinum' vox pro tonstrino artificio ponitur (c. 46). Utcumque hoc erit, puto Plocamum mimum vel partem comoediae in qua tonsores deridebantur eo verbo designasse. Nisi forte volgus scaenam in qua credulus homo probe decipiebatur 'tonstrinum' vocabant (cf. Plaut. Bacch. II. 3, 8: 'Tondebo . . . usque ad vivam cutem.') Buechelerus autem verbum aliter explicare conatus est (ed. tert. p. 134).

[4] Cf. Forcell. Onomast. s.v. 'Apelles'; C. I. L. IX. 834; 2129; 6079; 5089; X. 1403; 3877; 7618; 8056 et mult. al.

[5] Cf. 'Ephesum tragoedum,' c. 70.

et Petraitis omnes pugnas.' Studerus autem coniecit Hermerotem eundem esse qui in titulo quodam Claudianae aetatis[1] commemoratur. Sed alter Hermeros, cuius pugnas Trimalchio in poculis habuit, gladiator fuisse videtur; alter autem, cuius nomen in titulo legitur, 'ab marmoribus magister' Claudio erat. Praeterea nomen 'Hermeros' a Petronio cuidam conliberto Trimalchionis datur (c. 59) atque in titulis Campanis saepe legitur.[2] Itaque Studeri coniectura non modo incerta sed etiam temeraria videtur. Ille autem verbum 'Petraitis' errore pro 'Pheronactis' scriptum esse putavit, conlato loco Senecae (Apocolocynt. Claud. 13) ubi Pheronactes,[3] Claudi libertus, nomine memoratur. At Friedlaenderus multo probabilius coniecit[4] 'Tetraitis' scribendum esse; nam gladiatoris nomen Tetraites legitur in titulo Pompeiano (C. I. L. IV. 538). Itaque haec quoque Studeri coniectura reicienda est.

(4) Laenatis gladiatorium munus in pariete domus Trimalchionis pictum erat (c. 29). Itaque Burmannus[5] locum Frontini (de Aquaed. c. 102) confert ubi C. Octavius Laenas A.U.C. 786 curator aquarum fuisse dicitur; Studerus[6] autem dubitanter adfert nomen Vipsani Laenatis, qui A.U.C. 809 ob Sardiniam avare habitam damnatus est (Tac. Ann. XIII. 30). At Laenate cognomine quattuor certe gentes, Popillia,[7] Octavia, Vipsania, Pontiana, utebantur. Fortasse autem Laenas ille cuius munus in pariete pictum erat

---

[1] Gruter. Inscr. p. XXV. 12; C. I. L. XI. 3199: 'Hermeros Ti. Claudii Caisaris Aug. Germanici ser. Thyamidianus ab marmorib(us) magister Feroniae aras quinque d. s. d. d.' Hunc titulum Studerus neglegenter descripsit neglegentiusque tractavit. Talia enim scripsit (Mus. Rhen. nov. II. p. 221): 'Möglicherweise könnte der Hermeros, dessen Kampfspiele auf Trimalchios Trinkbechern gravirt waren, eine Person sein mit jenem bei Gruter p. XXV. 12 auf einer Inschrift erwähnten Hermeros, Tib. Claudii libertus, a marmoribus, et (!) magister Feroniae.' Sed verba 'ab marmoribus magister' coniungenda sunt. Cf. C. I. L. VI. 8512; Willmann. n. 2646.

[2] C. I. L. IV. 1254; 1256; 2192; 2195; X. 528; 1565; 1599; 2652; 2707.

[3] Hoc nomen dubium est; nam in codice Sangallensi 'pherona otus 'legitur. Buechelerus in editione 'Pheronactus' maluit.

[4] Mus. Rhen. nov. X. p. 553. Friedlaenderi sententiam acceperunt Buechelerus (ed. tert. p. 34 adnot.) et Zangemeisterus (ad C. I. L. IV. 538).

[5] Adnot. ad c. 29.

[6] Mus. Rhen. nov. II. p. 220.

[7] Cf. Appian. Bell. Civ. II. 115–16; IV. 19; Cass. Dion. LVII. 11.

libertus fuit; quod ipse Burmannus probabilius esse concessit.[1] Itaque non est quod hic locus Petroni nobis opponatur.

(5) Est autem et alius locus (c. 73): 'Deinde ut lassatus consedit, invitatus balnei sono diduxit usque ad cameram os ebrium et coepit Menecratis cantica lacerare, sicut illi dicebant qui linguam eius intellegebant'; quem locum Studerus[2] et Buechelerus[3] ad citharoedum Menecratem, quem Nero viri triumphalis patrimonio donavit,[4] pertinere coniecerunt. Sed haec opinio vel incertissima est: nomen enim 'Menecrates' saepissime apud scriptores antiquos legitur.[5] Accedit quod Suidas[6] dicit Menecratem quendam comoedias scripsisse; ad quem Beckius[7] verba Petroni spectare coniecit.

(6) Dominus autem Trimalchionis Gaius Pompeius vocatus est.[8] Itaque Studerus locum Taciti[9] adfert quo C. Pompeius consul fuisse (A.U.C. 802) dicitur. Sed praenomen huius Pompei dubium est; nam in Fastis Antiatibus legitur: 'Q. Veranio A. Pompeio Gallo coss.' Accedit quod nomen 'C. Pompeius' saepe legitur in titulis, ut Studerus recte dicit. Quae cum ita sint, Studeri coniectura incerta esse videtur, praesertim cum dominus Trimalchionis Campanus fuerit.

(7) Deinde apud Petronium legimus (c. 77): 'Ad summam, Scaurus cum huc venit nusquam mavoluit hospitari, et habet ad mare paternum hospitium.' Hunc esse Aemilium Scaurum Mamercum, qui A.U.C. 787 sibi mortem conscivit,[10] coniecit Beckius;[11] quod nostrae sententiae non repugnat. Nam quo anno Scaurus Mamercus natus sit non traditum est; sed nihil, quod sciam, impedit quin eum

---

[1] Adnot. ad c. 29.

[2] Mus. Rhen. nov. II. p. 219.

[3] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

[4] Suet. vit. Ner. c. 30.

[5] Pauly 'Real-Encylopaedie' s. v. 'Menecrates.'

[6] Suid. s.v. *Μενεκράτης: Μενεκράτης κωμικός. δράματα αὐτοῦ Μανέκτωρ ἢ Ἑρμιονεύς.*

[7] 'Age of Petronius Arbiter,' p. 80.

[8] Cf. 'C. Pompeius Trimalchio,' cc. 30, 71; 'C. Pompeius Diogenes,' c. 38. Hi liberti nomen a domino traxerunt.

[9] Tac. Ann. XII. 5: 'C. Pompeio Q. Veranio consulibus.' Cf. Solin. I. 29: 'C. Pompeius Gallus et Q. Veranius.' Frontinus autem (de Aquaed. 102) huic Pompeio cognomen Longum adtribuit. Sed Studerus eum C. Pompeium 'Longinum' perperam appellat.

[10] Tac. Ann. VI. 29; Cass. Dio LVIII. 24. Studerus Scaurum *Neronis* temporibus mortuum esse scribit (Mus. Rhen.) lapsu calami, ut puto.

[11] 'Age of Petronius Arbiter,' pp. 81–3.

A.U.C. 740 iuvenem iam famosum fuisse putemus. Quod si quis parum probabile esse censet, licet locum Petroni ad M. Aemilium Scaurum, Mamerci patrem, spectare credat.[1] Scauro autem cognomine et aliae gentes, Terentia et Aurelia, utebantur. Sed nisi fallimur, verba Trimalchionis ad aliquem ex Aemiliis Scauris pertinent; ii enim et ditissimi et luxuriosissimi fuisse traduntur.

(8) Denique Trimalchio haec dicit (c. 76): 'Et sane nolentem me negotium meum agere exhortavit mathematicus, qui venerat forte in coloniam nostram, Graeculio, Serapa nomine, consiliator deorum.' Sed Caracallae temporibus Serapio quidam notus mathematicus fuit; itaque Ignarra[2] his nominibus usus est quibus Petronium Antoninorum temporibus scripsisse probaret. Non recte; primum enim temporum ratio nullo modo convenit. Deinde nomina illa 'Serapa' et 'Serapio' inter se dissimilia sunt. Denique nulla fere aetas maiorem fidem mathematicis adhibuit quam aetas Augusti.[3] Quae cum ita sint, Ignarrae opinio omnino reicienda est.

Haec nomina viri docti saepe protulerunt ad opiniones suas probandas. Sed quam incerta quamque diversa talia argumenta sint nemo non videt. Itaque ut certa incertis opponantur, quaerendum est quae nomina apud Petronium inveniri possint quae sine dubio ad claros viros pertineant. Quorum haec fere ad rem spectant: nam antiquiorum nomina licet omittamus.

(Antistius) Labeo, iure consultus . . . . . c. 137.
Augustus, imperator[4] . . . . . c. 69.
(M. Claudius) Marcellus, consul A.U.C. 703 . . . . . c. 124.
(L. Cornelius) Lentulus (Crus), consul A.U.C. 705 . . . . . c. 124.
(Q.) Horatius (Flaccus) . . . . . c. 118.
(C.) Julius Caesar . . . . . cc. 120; 122; 123; 124.
(M. Licinius) Crassus . . . . . c. 120.
(Cn. Pompeius) Magnus . . . . . cc. 123; 124.
(M. Porcius) Cato (Uticensis) . . . . . c. 119.

[1] Hic Scaurus bellorum civilium temporibus prius Bruti et Cassi partes secutus est, deinde Sexti Pompei; sed postea illo relicto ad M. Antonium transfugit, ut tradit Appianus (Bell. Civ. V. 142). Augustus autem post proelium Actiacum ei veniam dedit; cf. Dion. LI. 2; LVI. 38; Drumann. 'Gesch. Roms,' I. p. 33.

[2] Cf. Mus. Rhen. nov. II. p. 211.

[3] Tiberi temporibus mathematici tam multi tamque molesti facti erant ut ex senatus consulto expellerentur; Tac. Ann. II. 32; Sueton. Vit. Tib. 36.

[4] Fortasse Caesar cuius Trimalchio c. 51 meminit Augustus est.

Publilius Syrus, mimus . . . . . c. 55; cf. 52.
(C. Scribonius) Curio, tribunus pl. A.U.C. 704 . . . . . c. 124.
Servius (Sulpicius Rufus), consul A.U.C. 703, iure consultus . . . . c. 137
(M. Tullius) Cicero . . . . . cc. 3; 5; 55.
(P.) Vergilius (Maro) . . . . . cc. 68; 118.

Hi omnes Ciceronis et Augusti aetate vixerunt. Itaque haec nomina nostram sententiam confirmare videntur.

Deinde Buecheleri sententia tractanda est. Ille enim talia scripsit:[1] 'Licuit vero in hoc genere fabularum, quod a morosa subtilitate alienum ingenuam sequitur festivitatem, et antiquiora et posteriora paulo neglegentius admiscere, velut p. 148, 4 iter facientes dicuntur a vilico quaesivisse, quod genus negotiationis Crotoniatae praecipue probarent post attritas bellis frequentibus opes tamquam etiam tum civitas illa in sua, non in populi Romani potestate atque universa Italia non dudum pacata esset, et p. 76. 10 Plocamus adulescentulum se gloriatur in cantando parem non habuisse nisi unum Apellem, familiarem Caligulae celeberrimumque inter aequales tragoedum (Cassius Dio LVIIII. 5), et p. 86. 19 Trimalchio cantica fertur lacerasse Menecratis, si hic est Menecrates quem citharoedum Nero triumphalium virorum donavit (Suetonius Neronis cap. 30).' Itaque si Buechelerum sequeris, hanc rerum et temporum seriem habebitis:

Croton in populi Romani potestatem revenit circiter . . . . . A.U.C. 560.
Vinum Opimianum annorum centum fuit . . . . . A.U.C. 733.[2]
Petronius finxit Encolpi itinera incidisse in ultimos annos quibus regnabat . . . . . Tiberius.
Apelles floruit regnante . . . . . Gaio.
Menecrates floruit regnante . . . . . Nerone.

At quamquam concedendum est scriptores antiquos in talibus rebus neglegentiores fuisse, tamen Petronium lectores tam aperte tamque audacter ludificatum esse pernegare ausus sim. Quod si Encolpius Augusti temporibus in Campaniam venisse fingitur, hae difficultates facile evitari possunt.

De sermone autem saturarum nihil scribendum statuimus; nam id quod Buechelerus adfirmat, genus sermonis artemque metrorum non

[1] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

[2] Huic rei Buechelerus paene nullam auctoritatem tribuit.

in aliud atque Neronianum tempus convenire, iam satis ab aliis demonstratum est. Atque si Petronius aliquanto simplicius scripsit quam ceteri eiusdem aetatis auctores, hoc partim imitationi eius sermonis quo Augusti aetate scriptores utebantur, partim ipsius hominis ingenio et indoli adtribuendum est.

Quae cum ita sint, multa argumenta nostram sententiam confirmant; eaque quae ad alias sententias probandas viri docti adtulerunt incertiora esse videntur quam quae pro veris et certis accipiantur. Itaque licet conligamus Petronium eam partem saturarum quae hodie exstat circiter A.U.C. 740 actam esse sine dubio voluisse.

Haec fere sunt quae de tempore saturarum dicenda putaremus. Reliquum est ut quaeramus qua in urbe Trimalchio habitarit. Sed de hac re perdifficili viri docti multum diuque certaverunt; quo magis vereor ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, quod dicunt, ferre videar. Utcumque hoc erit, primum est de argumentis quae apud Petronium inventa sunt, tum de rationibus quas huius aetatis homines ad suas sententias probandas adtulerunt, disserendum.

Principio miro quodam casu nomen urbis in qua Trimalchio habitavit nusquam apud Petronium servatum est. Sunt tamen nonnulla indicia ad urbem pertinentia; quae haec fere sunt.

In Campania erat, ad mare[1] sita, neque longe aberat a Baiis[2] Capuave.[3] Coloniam autem in urbem deductam esse ex quattuor locis[4] adparet, atque inter magistratus urbanos aediles[5] erant. Sevirorum autem conlegium in colonia erat; nam Trimalchio sevir Augustalis,[6] Hermeros et Habinnas seviri[7] vocantur. Deinde urbs ipsa in regiones[8] erat divisa vigilesque[9] habebat qui ad incendia res-

---

[1] *Ed. tert. Buecheleri* c. 81, p. 55, ll. 5–6; cf. c. 77, p. 52, l. 24; c. 90, p. 61, l. 4; c. 99, p. 68, ll. 3–8; c. 114, p. 80, ll. 8–10.

[2] C. 53, p. 35, l. 19; cf. c. 104, p. 71, l. 27.

[3] C. 62, p. 41, l. 9.

[4] C. 44, p. 29, ll. 26, 34; c. 57, p. 38, l. 13; c. 76, p. 52, l. 7.

[5] C. 44, p. 29, ll. 10, 27; c. 53, p. 35, l. 16; cf. c. 45. Quod magistratus urbis 'praetor' ab advena Encolpio (c. 65, p. 43, l. 32) dicitur haud ita multum auctoritatis habere sentio.

[6] C. 30, p. 21, l. 7; cf. c. 71, p. 48, l. 25. [7] C. 57, p. 38, l. 4; c. 65, p. 43, l. 35.

[8] C. 78, p. 53, l. 8; cf. c. 17, p. 14, ll. 6, 16–17.

[9] C. 78, p. 53, l. 8.

tinguenda noctu eas custodirent. Denique 'Graeca urbs,'[1] cui nomini multi vel nimium auctoritatis tribuerunt, ab Encolpio appellatur. Haec omnia utpote in propatulo posita apud multos plurimum valuerunt.

Sed et alia sunt, minus aperta quidem, neque tamen eo negligenda. Quorum vel praecipuum est quod pleraque in colonia Trimalchionis Romana erant.[2] Populus enim coloniae Latine loquebatur; cuius rei permulta sunt argumenta. Nam liberti et infimae plebis homines Latine loqui solebant; quod ex sermonibus convivarum Trimalchionis satis adparet. Plocamus enim se Graecum carmen cantare simulavit;[3] quod ineptissimum omnium fuisset si plerique in colonia Graece loqui soliti essent. Encolpius autem Homeristas dicit[4] Graecis versibus conlocutos esse 'ut insolenter solent'; quod dum faciebant Trimalchio Latine legebat librum. At haec verba plane inepta fuissent si homines coloniae Graece locuti essent. Servus autem Habinnatis Aeneida recitavit et Atellanicos versus intermiscuit.[5] Accedit quod ipse Trimalchio Syri versus recitavit eumque cum Cicerone contulit.[6] Et scissorem suum Carpum nominaverat; itaque quotiescumque dixit 'Carpe, Carpe,' eodem verbo et vocavit et imperavit.[7] Comoedos autem emerat, sed maluit illos Atellaniam facere et choraulen suum iussit Latine cantare.[8] Praeterea homo quidam coloniae hoc titulo causam proscripsit: 'C. Pompeius Diogenes ex kalendis Iuliis cenaculum locat; ipse enim domum emit.'[9] Deinde in poste ianuae domus Trimalchionis libellus erat cum hac inscriptione fixus: 'Quisquis servus sine dominico iussu foras exierit, accipiet plagas centum.'[10] Accedit quod in fascibus seviralibus Trimalchionis hoc erat scriptum: 'C. Pompeio Trimalchioni, seviro Augustali, Cinnamus dispensator;'[11] et sescenta alia huiusmodi sunt, quae hic enumerare taedeat. Praeterea cives coloniae sacra festaque publica et privata

---

[1] C. 81, p. 55, l. 12.

[2] Hanc rem optime tractavit Iannellius, Cod. Perott. pp. CXCIV–CCV.

[3] C. 64, p. 42, ll. 37–8. [4] C. 59, p. 39, ll. 25–7. [5] C. 68, p. 45, ll. 36 seqq.

[6] C. 55, p. 36, ll. 19 seqq. [7] C. 36, p. 24, ll. 23–31.

[8] C. 53, p. 35, ll. 27–9. Acute dixit Iannellius Graecos in colonia Graeculos contemptim appellatos esse; cf. cc. 38, 46, 76, et Cod. Perott. p. CXCVI.

[9] C. 38, p. 25, ll. 26–8; cf. C. I. L. IV. nn. 138; 807; 1136.

[10] C. 28, p. 20, ll. 14–16.

[11] C. 30, p. 21, ll. 5–8; cf. ll. 10–13.

ex more Romanorum, ut videtur, celebrabant.[1] Denique munera gladiatoria[2] et epulae populo datae[3] commemorantur.

Haec ad coloniam pertinent; sed et reliqua urbs legibus institutisque Romanis ex parte utebatur[4] atque praeco urbanus Latine proclamabat.[5]

De situ et aedificiis urbis nonnulla tradita sunt. Pars enim aedificiorum tam prope a mari erant ut Eumolpus et Encolpius e templo usque ad litus lapidum vitandorum causa currerent.[6] Encolpius autem ex hospitio fere ipso navem conscendisse videtur.[7] Commemorantur autem porticus,[8] theatrum,[9] amphitheatrum,[10] balnea,[11] basilica,[12] templa,[13] curia,[14] popinae,[15] fornix,[16] crypta,[17] villae,[18] insulae,[19] pinacotheca,[20] arcus vetus,[21] omnia denique quae in florente urbe inveniri solent. Adde quod forum urbis etiam deficiente die frequentiam rerum venalium[22] et turbas coctionum[23] praebuit.

Sunt autem nonnulli loci e quibus urbem Trimalchionis emporium fuisse licet suspiceris. Ipse enim Trimalchio negotiando dives factus est,[24] atque naves suas vino, lardo, faba, seplasio et mancipiis onera-

---

[1] *Saturnalia*, c. 44, p. 29, l. 12; c. 58, p. 38, l. 23. *Parentalia*, c. 77, p. 52, l. 38; cf. c. 69, p. 46, l. 14. *Novendiale*, c. 65, p. 44, l. 6. *Nudipedalia* (c. 44, p. 29, l. 38) ad urbem Romam pertinere videntur; et, nisi fallimur, 'clivus' qui ibidem dicitur Clivus Capitolinus est.

[2] C. 45, p. 30. [3] C. 45, p. 30, l. 29; c. 71, p. 48, l. 16.

[4] Cc. 13–14, pp. 12–13; *Nuptiae*, c. 26, p. 18, ll. 35 seqq.

[5] C. 97, p. 66, ll. 6–11. [6] C. 90, p. 61, ll. 1–5. [7] C. 99, p. 68, ll. 3–8.

[8] C. 3, p. 8, l. 12; c. 6, p. 9, ll. 24–5; c. 82, p. 55, l. 27; c. 90, p. 61, l. 1; cf. c. 106, p. 73, l. 5, 'quas in Herculis porticu acceperat.'

[9] C. 90, p. 62, l. 1; c. 92, p. 63, l. 9. [10] C. 45, p. 30, l. 14.

[11] C. 26, p. 19, l. 20 seqq.; c. 30, p. 21, l. 21; c. 41, p. 27, l. 40; c. 42, p. 28, ll. 3–6; c. 91, p. 62, l. 14; c. 92, p. 63, ll. 6–10; c. 94, p. 64, l. 3; c. 97, p. 66, l. 9.

[12] C. 57, p. 38, l. 14. [13] C. 90, p. 61, l. 3. [14] C. 44, p. 29, l. 18.

[15] C. 98, p. 67, l. 16. [16] Cc. 7, 8. [17] C. 17, p. 14, l. 3; cf. Frag. XVI.

[18] C. 61, p. 41, l. 6; cf. c. 62, p. 41, l. 28; c. 77, p. 52, l. 23.

[19] C. 95, p. 65, l. 14; c. 96, p. 65, l. 38; cf. c. 94, p. 64, l. 1, 'synoecio.'

[20] C. 83, p. 56, l. 6 seqq. [21] C. 44, p. 29, l. 16. [22] C. 12, p. 11, l. 30 seqq.

[23] C. 14, p. 13, l. 4. De foro cf. c. 44, p. 29, l. 20; c. 57, p. 38, l. 1; c. 58, p. 39, l. 9.

[24] C. 76, p. 51–2. Cf. c. 38, p. 25, ll. 13–18: 'Arietes a Tarento emit et testiculavit in gregem. Mel Atticum ut domi nasceretur, apes ab Athenis iussit afferri; obiter et vernaculae quae sunt meliusculae a Graeculis fient. Ecce intra

vit.[1] Lichas autem, mercator Tarentinus, Encolpium et Eumolpum ab urbe nave sua vexit.[2] Accedit quod non solum Graeci et Romani sed etiam Cappadoces[3] et Alexandrini[4] et Syri[5] et Aegyptii[6] et Aethiopes[7] incolae erant urbis. Cui tamen haud ita multum auctoritatis tribuendum est: Romani enim servos ex omnibus orbis terrarum gentibus habebant. Sed hoc certe concedendum est, homines exterarum gentium in portu vel emporio facillime inveniri.

Aliud autem indicium praebent nomina deorum qui ab incolis urbis Trimalchionis maxime colebantur; quae haec fere sunt: *Iuppiter* (c. 44, p. 29, l. 37; c. 47, p. 32, l. 1; c. 51, p. 34, l. 12; c. 56, p. 37, l. 12; c. 58, p. 38, l. 25), *Neptunus* (c. 76, p. 51, l. 31), '*Athana*' (c. 58, p. 38, l. 37; cf. c. 29, p. 20, l. 26; c. 43, p. 29, l. 4), *Venus* (c. 29, p. 20, l. 34; cf. c. 68, p. 46, l. 9), *Liber Pater* (c. 41, p. 27, l. 33; cf. ibid. l. 27), *Mars* (c. 34, p. 23, l. 19), *Mercurius* (c. 29, p. 20, l. 30; c. 67, p. 45, l. 10; c. 77, p. 52, l. 18), *Hercules* (c. 106, p. 73, l. 5; cf. c. 48, p. 33, l. 1), *Priapus* (c. 17, p. 14, l. 26; c. 21, p. 17, l. 4; c. 60, p. 40, l. 11), *Fortuna* (c. 29, p. 20, l. 30; cf. c. 43, p. 28, l. 37), *Augustus* (c. 60, p. 40, l. 18; cf. locos qui ad Augustales pertinent) et *Lares* (c. 29, p. 20, l. 34; c. 60, p. 40, ll. 22–6).[8]

Notandum est autem quod Encolpius 'gregem cursorum cum magistro se exercentem' in porticu domus Trimalchionis vidit;[9] ex quo adparet ludos gymnicos in urbe celebrari solitos esse. Circenses quoque et factiones commemorantur.[10]

Denique multos in urbe literas humaniores coluisse ex aliquot locis

---

hos dies scripsit ut illi ex India semen boletorum mitteretur.' Ex quo Trimalchionem non longe ab aliquo emporio vixisse satis adparet.

[1] C. 76, p. 51, l. 36; cf. Beloch. Camp. p. 117.

[2] C. 101, p. 69, ll. 7–10; cf. c. 43, p. 28, ll. 27–35.

[3] C. 63, p. 42, l. 10; c. 69, p. 46, l. 13.

[4] C. 31, p. 21, l. 34; c. 68, p. 45, l. 34.

[5] C. 22, p. 17, l. 13 seqq. [6] C. 35, p. 24, l. 11.

[7] C. 34, p. 23, l. 16. Adde quod Trimalchio et Ganymedes ex Asia venerunt; c. 44, p. 29, l. 13; c. 75, p. 51, l. 19.

[8] Haec addenda sunt: duodecim dii, c. 39, p. 26, l. 12; Parcae, c. 29, p. 20, l. 31; Incubo, c. 38, p. 25, l. 24; Occupo, c. 58, p. 39, l. 9; Orcus, c. 34, p. 23, l. 35; c. 45, p. 30, l. 28; Nocturnae, c. 64, p. 42, l. 27; 'tutela loci,' c. 57, p. 37, l. 31; 'Felicio' Scintillae, c. 67, p. 45, ll. 12–13. [9] C. 29, p. 20, ll. 31–2.

[10] C. 70, p. 47, ll. 22, 29; cf. c. 64, p. 42, l. 33.

satis constat;[1] erant enim scholae,[2] rhetores,[3] poetae[4] et fortasse poetica certamina[5] in urbe. Accedit quod (c. 6) 'ingens scholasticorum turba' in porticum venisse dicitur.

Haec fere sunt quae urbem Trimalchionis maxime designare videantur: itaque quaerendum est cui urbi Campaniae haec indicia optime conveniant.

Urbes quae ad sinum Cumanum prope a mari sitae erant hae fuerunt: Cumae, Baiae, Bauli, Misenum, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, Stabiae, Surrentum. Quarum tres tantum in quaestionem veniunt, Cumae, Puteoli et Neapolis. Nam Pompeii longius afuerunt a mari; Baiae autem et Bauli et Herculaneum[6] et Stabiae coloniae non fuerunt. Misenum quoque et Surrentum licet excipiamus. Nam Misenum recens fuit Augusti temporibus,[7] sed urbs Trimalchionis, ut videtur, iam vetus fuit.[8] Accedit quod Petronius classis et classiariorum non meminit;[9] sed Augustus stationem navalem Miseni locavit,[10] ex qua urbs paullatim orta esse videtur.[11] Denique Misenum 'urbs Graeca' non erat. Surrentum autem multis de causis excipiendum est. Primum enim in alto campo longius a mari situm erat;[12] sed urbs Trimalchionis magna ex parte proxima mari in ipso litore fuisse videtur. Deinde Surrentum longius afuit a Baiis et Capua quam quae urbs Trimalchionis esset. Nam vix

---

[1] Etiam Trimalchio doctus videri voluit; cf. cc. 39, 55, 56, 48.

[2] Cc. 1–7; cf. c. 46.

[3] Agamemnon rhetor fuit; cf. cc. 3–6; c. 48, p. 32, l. 30 seqq.

[4] Eumolpus poeta erat et Latina carmina recitabat; cf. c. 83, p. 56, ll. 29 seqq.; c. 90, p. 62, l. 1, et al.

[5] C. 83, p. 56, l. 30; cf. c. 90, p. 62, l. 1.

[6] Herculaneum municipium fuisse testantur tituli. Cf. C. I. L. X. 1416; 1447; 1452; 1453; 1455; 1456; et p. 157.

[7] Cf. Beloch. 'Campanien,' p. 190; Hermes XIII. p. 109; C. I. L. X. 1, p. 317.

[8] Cf. c. 78, p. 53, ll. 7–10; c. 44; c. 58, p. 38, l. 13; c. 75 ad fin.

[9] Encolpius militis meminit (c. 82); sed hic non fuit classiarius.

[10] Sueton. vit. Oct. 49; Tac. Ann. IV. 5.

[11] Cf. Plin. Epist. VI. 20, 7; Veget. V. 1. Misenum colonia erat, quod tituli testantur; sed quo tempore colonia in urbem deducta sit incertum est. Hoc a Claudio factum esse probabiliter coniecit Mommsenus (C. I. L. X. 1, p. 317); sed aliter iudicat Belochius (l. s. c.), qui coloniam ab Augusto deductam esse conicit.

[12] Beloch. 'Campanien,' pp. 261–2.

credibile est Surrentinos solitos esse Capuam exire ad mercandum.[1] Denique Surrentum neque in titulis neque a scriptoribus antiquis colonia fuisse traditur. Plinius enim, quamquam Surrentum commemorat,[2] tamen coloniam esse non dicit; et in libro coloniarum[3] 'Surrentum oppidum' legitur, non 'colonia.' Exstat autem titulus[4] in quo mentio fit municipum Surrentinorum. Quae cum ita sint, tres tantum urbes reliquae sunt nobis, Neapolis, Cumae, Puteoli.

De urbe Trimalchionis quattuor sententias viri docti in medium protulerunt, quae ordine tractandae sunt.

Ac primum quidem sunt qui Petronium non unam et eandem coloniam descripsisse sed quasi plures in unam conlegisse putent.[5] At Petronius alias urbes, Crotona[6] et fortasse Massiliam,[7] nominatim indicavit et descripsit. Urbs autem haec clarius designatur quam quae ficta sit; quod infra demonstrandum est.

Sunt autem qui urbem Trimalchionis Neapolim fuisse putent; quam opinionem Pithoeus[8] primus, quod sciam, protulit. Cum Pithoeo autem consenserunt De Salas,[9] Burmannus,[10] Ignarra,[11] Studerus,[12] Franzius,[13] Beckius,[14] et multi alii; sed recentiores qui hanc rem tractaverunt aliter iudicaverunt.

Argumenta quae Pithoei opinionem maxime confirmare videntur haec sunt:

Urbs Trimalchionis 'Graeca urbs' ab Encolpio vocatur (c. 81); cf. Tac. Ann. XV. 33: (Nero) 'Romae incipere scenas non ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit.'

Deinde vetus ille Petroni glossator in verbis 'Graecae urbis' (c. 81)

---

[1] Cf. c. 62, p. 41, l. 9: 'Forte dominus Capuam exierat ad scruta scita expedienda.'

[2] Hist. Nat. III. 62. [3] Gromat. vet. ed. Lachmann. I. p. 236.

[4] C. I. L. X. 676. Duumviri quoque in titulis Surrentinis commemorantur; ex quo Belochius coloniam in oppidum deductam esse conclusit. Non recte: nam quod summi urbis magistratus duumviri vocabantur coloniam in ea fuisse nullo modo arguit. Herculanei enim et in multis aliis municipiis duumviri erant. Cf. c. I. L. X. 1443; 1444; 1445; 1461; 1441; 1453; Marquardt, 'Staatsverwaltung,' ed. alt. I. p. 152 adn. 6.

[5] Cf. Buech. praef. ad ed. maior. p. VIIII. [6] C. 116 seqq.

[7] Fr. I. Buech.; cf. Fr. IIII. [8] In ed. Burmann. adn. ad c. 81, 'Graecae urbis.'

[9] Ibid. ed. alt. vol. II. p. 159. [10] Ibid. ad c. 81, 'Graecae urbis.'

[11] 'De Palaestra Neapolitana,' p. 205 seqq. [12] Mus. Rhen. nov. II. p. 207 seqq.

[13] C. I. G. III. p. 718. [14] 'Age of Petr. Arbiter,' p. 53.

adnotavit: 'Neapolis.' Sed glossarium eius parvae auctoritatis est,[1] etsi viri docti olim multum momenti ei tribuebant.[2]

Est autem Petroni fragmentum (XVI. Buech.): 'Satis constaret eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam.' Hoc fragmentum Cumis quidem minus convenit, tamen contra Puteolos non facit; crypta enim Neapolitana haud ita longe a Puteolis erat. Incertum est autem an crypta cuius c. 16 mentio fit eadem sit necne; sed fortasse haec in urbe fuit, ut Studerus coniecit.[3] Cetera autem argumenta quae Ignarra et alii protulerunt puerilia[4] sunt.

At multa argumenta sunt quae contra Pithoei sententiam quam maxime faciunt; e quibus haec fere plurimum auctoritatis habere videntur.

Primum quo tempore colonia Neapolim deducta sit incertum est. Nam quae in libro coloniarum leguntur:[5] 'Neapolim, muro ducta. Iter populo debetur ped. LXXX. Sed ager eius syriae pulestinae[6] (sic) a Grecis est in iugeribus adsignatus, et limites intercisivi sunt constituti, inter quos postea et miles imp. Titi lege modum iugerationis ob meritum accepit,' ea non ad Neapolim Campaniae sed ad Flaviam Neapolim, urbem Syriae Palestinae[7] plane spectant. Deinde inscriptio illa (C. I. L. X. 1492) cui Studerus permultum auctoritatis tribuit ne minime quidem ad rem pertinet; nam Mommsenus eam quarti post Christum saeculi esse iudicavit.[8] Constat autem Neapolim Ciceronis temporibus municipium fuisse.[9] Plinius quoque, quam-

[1] Wehli 'Obs. Crit. in Petronium,' pp. 7–10.

[2] Cf. Mus. Rhen. nov. II. p. 207.

[3] Ibid. p. 204.

[4] Cf. Mus. Rhen. nov. II. p. 204.

[5] Gromat. Vet. I. p. 235.

[6] 'Syriae pulestinae' cod. A; 'seriae palestinae' cod. E; 'syria et palestinae' P. 'Sirenae Parthenopae' mire Lachmannus, iure emendandi abusus. Lachmanni emendatione deceptus Belochius (Camp. p. 40) coloniam Neapolim a Tito deductam esse putat, conlato Stati loco (Silv. II. 2, 133). Sed Mommsenus (C. I. L. X. 1, p. 171) Lachmanni errorem correxit.

[7] In nummis huius urbis legitur: 'Φλαουία Νεάπολις Συρίας Παλαιστίνης'; Eckhel, Doct. Num. III. p. 435.

[8] C. I. L. X. 1, p. 172: '1478, 1492 quorum hic videtur esse saeculi p. C. quarti'; ibid. p. 171: 'titulus aevi labentis n. 1492.' Quo anno hic titulus scriptus sit nescimus. Belochius quoque (Camp p. 40) eum tertii vel quarti saeculi esse censet.

[9] Ad Fam. XIII. 30, 1: 'L. Manlius est Sosis: is fuit Catinensis; sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus decurioque Neapoli; erat enim

quam Neapolis meminit,[1] tamen eam coloniam fuisse non dicit. Accedit quod quattuorviri Neapolitani in inscriptione[2] commemorantur. Denique decreta municipii exstant, unum incertae aetatis[3] et duo aetatis Vespasianae.[4] His pensitatis Mommsenus Neapolim tertio fere post Christum saeculo coloniae nomine ornatam esse censet.[5] Utcumque hoc erat, Neapolis non ante Neronis certe tempora colonia facta est.[6] Itaque non erat urbs Trimalchionis.

Ut supra diximus, pleraque in colonia Trimalchionis Romana erant. Quod Neapoli nullo modo convenit; ibi enim usque ad Hadriani tempora permulta Graeca erant. Cf. verba Strabonis, qui circiter A.U.C. 730 floruit (V. 7): *μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δὲ ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά. πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβεῖα καὶ φρατρίαι καὶ ὀνόματα Ἑλληνικά, καίπερ ὄντων Ῥωμαίων*: (VI. 2) *νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου καὶ Νεαπόλεως ἐκβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα.* Accedunt verba Taciti (Ann. XV. 33) quae supra citavimus. Haec omnia quam maxime inscriptionibus confirmantur. Nam etiam imperatoris Titi temporibus Neapolitani Graeca lingua utebantur; cuius rei argumentum exstat titulus C. I. L. X, 1481, 'Graece et Latine scriptus, sed ut Graeca priorem locum teneant; exstant decreta municipii praeter n. 1490 aetatis incertae duo n. 1489 et C. I. Gr. n. 5838 aetatis Vespasianae quae ostendant ad id usque tempus et fortasse postea quoque acta publica Neapoli Graece confecta esse. Licebat sane civi Neapolitano etiam Latina lingua in titulis uti; sed diu plerique ea abstinuerunt.'[7] Qua de causa antiquiores tituli Neapoli reperti plerique Graece scripti sunt. Accedit quod in decretis nomina mensium modo Graeca sunt, modo Romana.[8] Denique magistratus in titulis Neapolitanis

adscriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam.' Cf. Cic. ad Att. X. 13, 1; pro Balbo 21 et 55.

[1] Hist. Nat. III. 62.

[2] C. I. G. 5796, *ἄρξαντα τεσσάρων ἀνδρῶν.*

[3] C. I. L. X. 1490.

[4] C. I. L. X. 1489; C. I. G. 5838; cf. Mommsen. C. I. L. X. 1, p. 171.

[5] C. I. L. X. 1, p. 171.

[6] 'Obwohl es eine Inschrift frühestens des 3 Jahrhunderts giebt, welche wahrscheinlich dieser Stadt angehört und sie als colonia bezeichnet, so kann sie das Colonierecht unmöglich schon vor der neronischen Epoche erworben haben.' Mommsen. Hermes XIII. p. 110; cf. C. I. L. 1. c.; Beloch. Camp. p. 40.

[7] C. I. L. X. 1, p. 171.

[8] Cf. C. I. G. 5838, *ιδ' Ληναιῶνος*, et infra *Ἰουλίων*; 5785, *Πανθεῶνος μηνός*; 5836, *Ἰανουαρίων*; 5843, *Ἀπρειλίων.*

plerique Graecis vocabulis designantur.[1] Quae omnia coloniae quam Petronius descripsit non conveniunt.

Denique homines urbis Trimalchionis alios deos atque Neapolitani colebant. Nam deorum Neapolitanorum, Parthenopae, Sebethi, Cereris, Hebonis,[2] in ea parte saturarum quae ad urbem Campaniae pertinet nulla fit mentio; et contra dii quos incolae urbis Trimalchionis venerabantur plerique Neapoli non conveniunt.

Quae cum ita sint, Neapolis certe urbs Trimalchionis non fuit.

Mommsenus autem in commentariolo[3] quod abhinc duodecim fere annis edidit, urbem quam Petronius descripsit Cumas esse probare conatus est. Sed etsi rem acutissime et doctissime, ut solet, disputavit, fortasse operae pretium est sententiam eius denuo perscrutari. Argumenta autem quae ad opinionem suam probandam protulit haec fere sunt:

(I) Primum urbs Trimalchionis 'Graeca urbs' erat: quod Mommsenus neque Miseno neque Puteolis convenire censet. Itaque, cum urbs illa Neapolis non sit, conligit eam Cumas fuisse. Sed quam-

---

[1] Demarchus, *δήμαρχος*; C. I. G. 5790; 5797; 5799; 5809; 5810; C. I. L. X. 1478; 1491; 1492; Beloch. n. 25, p. 46. Cf. Spartian. Vit. Hadrian. 19: 'Per Latina oppida dictator et aedilis et II. vir; apud Neapolim demarchus.' *Λαυκέλαρχος*, C. I. G. 5790; 5796; 5797. *Γραμματεύς*, C. I. G. 5797; 5843; cf. C. I. L. X. 1494, 'scriba.' *Ἀγοράνομος*, C. I. G. 5793; 5799; 5836. *Ἄρχων*, C. I. G. 5836; 5838; 5799. *Ἀντάρχων*, C. I. G. 5838. *Ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικόν*, (quinquennalis) C. I. G. 5796; cf. 5797, *ἄρξαντα τὸν πενταετηρικόν Ἄρξαντα τεσσάρων ἀνδρῶν* (IIII. virorum), C. I. G. 5796. *Γυμνησίαρχος*, C. I. G. 5796; 5809. *Βουλή*, C. I. G. 5836; Beloch. n. 25, p. 40. *Βουλευταί*, C. I. G. 5843. *Πρόσκλητον*, C. I. G. 5838, 5843. *Σύγκλητον*, C. I. G. 5799. *Φρητρίαι*, C. I. G. 5785; 5787; 5788; 5789; 5797; 5798; 5802; 5805; 5818; 5869; C. I. L. X. 1491; Willmann. n. 664; cf. Varro L. L. V. 85 Mueller.; Strabo. l. s. c. Confer C. I. L. X. 1487, 'agonotheta'; *ἔπαρχος σείτου δόσεως*, C. I. G. 5793; *ἐπίτροπος*, C. I. G. 5790; 5791; *στρατηγός*, C. I. G. 5793. At haec fere Latina vocabula magistratus Neapolitanos designant; 'II vir alimentorum quaestor sacrae pecuniae' (sic), C. I. L. X. 1491; 'curator frumenti comparandi,' ibid.; 'scriba' ibid. n. 1491; 'arkarius reipublicae Neapolitanorum,' qui fortasse servus publicus fuit, ibid. n. 1495. Sacerdotes qui in Latinis titulis commemorantur hi sunt: Augustalis, C. I. L. X. 1872; augur et flamen Virbialis, ibid. n. 1493; (?) aedilis Augustalis, ibid. n. 1493; praefectus et quinquennalis invenum, ibid. n. 1493. Patroni coloniae commemorantur, C. I. L. X. 1487; 1492; 1819; vir primarius civitatis, ibid. n. 1520; decuriones, ibid. 1489; 1490; Cic. ad Fam. XIII. 30, 1.

[2] Beloch. 'Campanien,' p. 51 et seqq.

[3] Hermes XIII. pp. 106–21.

quam Cumae sine dubio 'Graeca urbs' fuit tamen hoc nomen et Puteolis convenit; quod infra demonstrandum est.

(II) Deinde colonia in urbem Trimalchionis deducta erat. Cumas autem aut a triumviris aut ab Octaviano coloniam factam esse Mommsenus ex C. I. litteris, quae in duobus titulis Cumanorum[1] leguntur, conclusit. Has enim litteras verba 'Coloniae Iuliae' valere putat. Est porro locus libri coloniarum qui hanc coniecturam confirmare videtur: 'Cumae: colonia ab Augusto deducta.' Sed constat Cumas ad Caesaris usque tempora municipium fuisse;[2] et fistula[3] imperatoriae aetatis exstat cum hac inscriptione: 'Publ(icum) munic(ipii) Cuman(orum). Denique Plinius Cumas coloniam fuisse non tradit. Quibus pensitatis ipse Mommsenus nuper multo dubitantius[4] de hac re scripsit quam antea scripserat.[5] Accedit quod Hermeros (c. 57) haec dicit: 'Puer capillatus in hanc coloniam veni: adhuc basilica non erat facta.' Ex quo Mommsenus coniecit coloniam in urbem deductam esse eodem fere tempore quo Hermeros puer in urbem venerit; novam enim basilicam ob coloniam deductam factam esse putat. Quod quam incertum sit nemo non videt. Sed etiam si verum esset, tamen rem non satis probaret; nam Puteolos quoque colonia ab Augusto deducta est. Sed hac de re infra dicemus.

(III) Tertium argumentum quod Mommsenus protulit multo speciosius est. Nam (c. 65) Encolpius dicit: 'Inter haec triclinii valvas lictor percussit, amictusque veste alba cum ingenti frequentia comissator intravit. Ego maiestate conterritus *praetorem* putabam venisse. Itaque temptavi assurgere et nudos pedes in terram deferre. Risit hanc trepidationem Agamemnon et 'contine te' inquit 'homo stultissime. Habinnas sevir est idemque lapidarius, qui videtur monumenta optime facere.' Cumis autem summos magistratus praetores fuisse testantur inscriptiones;[6] itaque Mommsenus coloniam Trimalchionis sine ullo dubio Cumas fuisse conclusit. Quod tamen valde incertum esse videtur; nam olim summi magistratus multorum municipiorum et coloniarum 'praetores' vocati erant; itaque postea, id est, aetate imperatoria, quamquam quattuorviri aut

---

[1] C. I. L. X. 3703; 3704. [2] Cic. ad Att. X. 13, 1.

[3] C. I. L. X. 3711; cf. n. 3697 (A.U.C. 761), quo in titulo 'municipes' Cumani memorantur.

[4] Hermes XVIII. p. 181; cf. 198. [5] Hermes XIII. p. 110.

[6] C. I. L. X. 3698 (A.D. 289) et 3685, quarum haec Puteolis inventa est.

duumviri re vera erant, tamen nonnumquam[1] minus accurate 'praetores' ex more antiquo appellabantur. Cuius rei ipsae Cumae luculentissimum exemplum praebent; Ciceronis enim temporibus summi magistratus urbis quattuorviri, ut videtur, appellabantur,[2] atque in titulo Cumano[3] imperatoriae aetatis haec leguntur: 'Ad honorem quoque *duumviratus* ad cumulanda munera patriae suae libenter accessit.' Itaque non mirum est si et aliarum urbium duumviri nonnumquam 'praetores' appellabantur,[4] etsi casu inscriptiones quae exstent hoc non ostendant.

Sed etiam si haec res aliter esset, tamen locus Petroni Mommseni sententiam non probaret. Nam quod advena Encolpius magistratum urbis 'praetorem' vocat nihil fere auctoritatis habet. Ille enim Romae fuerat,[5] et fortasse in Gallia Narbonensi, ubi summi urbium magistratus 'praetores' vocabantur,[6] habitaverat.[7] Itaque non mirum est si cum Encolpius Habinnatem cum lictore et ingenti frequentia intrantem videret eum praetorem esse putavit.

Haec fere sunt quae Mommsenus ad suam sententiam probandam protulit. At alia sunt, quae opinioni eius refragari videntur.

(I) Trimalchio (c. 48) haec dicit: 'Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere, et cum illi pueri dicerent: Σίβυλλα, τί θέλεις; respondebat illa: ἀποθανεῖν θέλω.' Quo de loco prudenter scripsit Buechelerus:[8] 'Cumas illam coloniam non fuisse, de qua convivae confabulantur, probatur eo, quod Cumis se suis oculis Sibyllam vidisse quasi rem raritate notabilem Trimalchio pronuntiat.' Quocum consentit Ludovicus Friedlaenderus.[9] At Mommsensus locum Petroni sic explicare conatus est: 'Sed voluit lepidus auctor ita ineptire pulchellum hominem, scilicet ut urbana

---

[1] Hac de causa imperatoria aetate Lavinii, Anagniae, Capituli Hernicorum et Cumis 'praetores' erant: Hispelli autem et Nemausi 'praetores quattuorviri,' Abellini et Grumenti et Telesiae et Narbonis 'praetores duoviri' in titulis memorantur. Cf. Marquardt, 'Staatsverwaltung,' ed. alt. vol. I. pp. 149–50; Madvig. 'Verfassung und Verwaltung des Röm. Staates,' vol. II. p. 13; Hor. Sat. I. 5, 35; Cic. de Lege Agr. II. 34, 92–3; C. I. L. X. 6193.

[2] Ad Att. X. 13, 1.

[3] C. I. L. X. 3704.

[4] Cf. Plut. vit. Sull. 37, τὸν ἄρχοντα (scilicet Δικαιαρχείας) Γράνιον.

[5] C. 69, p. 46, l. 36.

[6] Marquardt, l. s. c.

[7] Cf. Frag. I. et IV. (Buech.).

[8] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

[9] 'Bursian's Jahresbericht,' 1878, 2d Th. p. 172.

narraret quasi longinquo itinere conspecta.'[1] Quasi vero aliquis tam audacter tale tantumque mendacium de sua urbe coram suis civibus diceret. At quamquam Trimalchio et superbus et stultus fuisse videtur, tamen non fuit insanus. Constat autem eum non 'Cumis' sed 'hac in colonia' dicturum fuisse si urbana narraret.

Est autem et alius locus (c. 53): 'Et plane interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tanquam urbis acta recitavit: 'VII. kalendas sextiles: in praedio Cumano, quod est Trimalchionis, nati sunt pueri XXX., puellae XL.; sublata in horreum ex area tritici millia modium quingenta; boves domiti quingenti.' Quo ex loco et Buechelerus et Mommsenus convivium Trimalchionis in praedio eius Cumano actum esse coniecerunt. Quod si verum est, sententia Mommseni pro vera et certa accipienda est; nam quod Buechelerus dicit: 'Appellatio ipsa solitam insolentiam Trimalcionis arguit, qui praedium suum a longinquo oppido, non a propinquo voluit denominari, ut scilicet fines illius patere usque ad Cumas crederentur,'[2] parum probabile est. Domini enim, ut recte dicit Mommsenus, nomina praediis suis arbitrio suo dare non solebant; sed praedia sua quodque nomina ab oppidis vel pagis in quibus sita erant, trahebant. Cuius rei apud Ciceronem sescenta exempla sunt. Sed, nisi fallimur, ea quae actuarius recitavit non ad domum in qua convivium agebatur sed ad longinqua praedia pertinuerunt. Nam et 'praedium Cumanum' et 'hortos Pompeianos' commemoravit, scilicet ut Trimalchio videretur non solum in sua urbe sed etiam Cumis et Pompeiis fundos habere. Adde quod domus[3] Trimalchionis in urbe vel certe proxima ab urbe fuit; quod ex c. 78 satis constat. Sed praedium Cumanum ruri longius ab urbe fuisse facile suspiceris; erant enim in eo 'tritici milia modium quingenta' in horreo et area et quingenti boves. Hoc tamen incertum esse concedimus. Sed cenam Trimalchionis in praedio Cumano actam esse demonstrari non potest, immo vix credibile videtur.

---

[1] C. I. L. X. 1, p. 351; cf. Hermes XIII. p. 114: 'Es wirkt nur um so komischer, wenn er in Cumae selbst berichtet, wie er die cumanische Sibylle in einer Bouteille habe sitzen sehen und mit den Bengeln auf der Strasse Unterhaltung führen hören.'

[2] Praef. ad ed. maior. p. VIII.

[3] Cf. c. 77, ubi Trimalchio de domo sua iactat, nihil de praedio adiacente dicens.

(II) Deinde apud Petronium nulla mentio fit Apollinis Cumani et Demetros, qui Cumis maxime colebantur.[1] Accedit quod templum Apollinis et antrum Sibyllae, quae per totam orbem terrarum notissima erant, non commemorantur.[2] At contra Trimalchio se Sibyllam in ampulla pendere Cumis vidisse dicit; quod non solum ridiculum sed etiam impium civibus suis visum esset, si ipse Cumis cum id diceret habitaret. Nam etiam si oraculum Augusti temporibus iam totum exstinctum erat, tamen Cumanos de Sibylla sua tales nugas tam audacter narrasse nullo modo credibile est.

(III) Denique multa alia de colonia tradita sunt quae Cumis non conveniunt. Nam in colonia negotiatores et mercatores erant atque ipse Trimalchio negotiando dives factus erat. Sed Augusti temporibus Cumae emporium non erant: Puteoli enim mercatores ad se adduxerant. Accedit quod urbs ipsa Cumanorum nullum portum habebat.[3] Deinde forum vesperi 'frequentia rerum venalium' et turba coctionum repletum atque 'ingens scholasticorum turba' Cumis minus conveniunt. Praeterea in colonia multi homines exterarum gentium erant; sed hoc mirum videtur, si quidem colonia 'vacuae Cumae' erat. His de causis colonia Trimalchionis Cumae fuisse non videtur.

Puteolos autem coloniam Trimalchionis fuisse, vir Neapolitanus, Cataldus Iannellius, primus, quod sciam, demonstrare conatus est.[4] Hunc virum doctum pauci alii secuti sunt; quo in numero quondam fuit Ludovicus Friedlaenderus. Ille enim ex vigilum mentione (c. 79) Puteolos coloniam nostram fuisse concluserat. Sed postea priorem sententiam reiecit. Itaque 'Non tali auxilio nec defensoribus istis Tempus eget.' Sed Belochius,[5] qui urbes Campaniae diligentissime exploravit et descripsit, cum Iannellio consensit.

Buechelerus autem de Puteolis haec scripsit: 'Graeca urbs p. 96, 7 mirum est profecto si Puteolana civitas vocatur tam diu a Romanis colonis habitata neque Graecae magis quam variarum nationum com-

---

[1] Cic. de Div. I. 98; Florus II. 8, 3; Vergil. Aen. VI. 9 seqq.; Plut. Virt. Mul. 26; C. I. L. X. n. 3685, et al. [2] Verg. Aen. VI. 42 seqq.; Stat. Silv. V. 3, 172, et al.

[3] 'Als Handelsstadt ist Kyme wohl niemals bedeutend gewesen. Schon die Lage an der hafenlosen Küste zeigt, dass bei der Gründung ganz andere Rücksichten massgebend waren.' Beloch. Camp. p. 157.

[4] 'In Cod. Perottinum dissertationes tres,' pp. CXLII. seqq.

[5] Camp. pp. 108, 116, 117, 134, et al.

merciis et frequentia insignis. . . Accedit quod in crebris sermonibus quibus commoda et incommoda coloniae vitaque vulgi inter cenantes versantur, paene nulla fit mercaturae ac rerum nauticarum mentio, quarum adfluentia Puteolanum emporium celebrabatur. Haec contra Puteolos pugnant.'[1] Quocum consensit Mommsenus, qui et aliud argumentum protulit.[2] Ille enim dicit verba quae c. 44 leguntur: 'Haec colonia retroversus crescit tamquam coda vituli,' nullo modo Puteolis convenire, quod ea urbs illis temporibus quam maxime floreret. Haec fere sunt quae non solum Buechelero et Mommseno sed etiam prioribus scriptoribus contra Puteolos facere viderentur. Itaque si haec explicare poterimus, Iannelli sententia multo probabilior videbitur. Nam vir ille doctissimus, quamquam has difficultates amovere multum diuque tentavit,[3] tamen rem acu non tetigit. Itaque Buecheleri et Mommseni argumenta primum tractanda sunt.

Si rem propius inspicias, haec argumenta Iannelli sententiam non solum non evertunt sed etiam confirmant. Nam vera quidem sunt; sed contra Puteolos non pugnant, immo vero nobiscum faciunt.

Urbs Trimalchionis 'Graeca urbs' vocatur. Sed quamquam Puteoli, ut Iannellius dicit,[4] a Graecis conditi sunt,[5] tamen haec res ad nomen Graecae urbis explicandum nullo modo sufficit. Reliqua autem quae Iannellius multo cum labore adtulit difficultatem non amovent. Sed vera nominis explicatio, nisi fallimur, longe alia est atque omnes molestias quasi uno ictu profligat.

A.U.C. 560, ut Livius testatur,[6] colonia trecentorum civium Romanorum Puteolos deducta est. Parvam hanc coloniam iam deficientem imperator Augustus restituit.[7] Sed praeter coloniam Romanam quae Puteolis erat, 'vetus oppidum,' quod ante coloniam deductam ibi fuerat, remanebat, primum ut peregrina civitas, deinde post bellum sociale ut municipium. Sed Nero veteri oppido ius

[1] Praef. ad ed. maior. p. VIIII.
[2] Hermes XIII. p. 111.
[3] Cod. Perott. pp. CCXLVII. seqq.
[4] Cod. Perott. p. CCXLVIII.
[5] Hieron. ad Olymp. LXIII. 1; Steph. Byz. s.v. Ποτίολοι; Strabon. V. p. 245; Festus s.v. 'minorem Delum,' et al.
[6] 'Coloniae civium Romanorum eo anno deductae sunt Puteolos, Volturnum, Liternum, treceni homines in singulas.' Liv. XXXIV. 45; cf. XXXII. 29.
[7] Lib. Colon. p. 236: 'Puteoli colonia Augusta; Augustus deduxit.' Cf. C. I. L. VIII. 7959.

coloniae dedit;[1] atque, ut videtur, ambae coloniae in unam coniunctae sunt, quae 'colonia Claudia Neronensis Puteolana' vocata est. Hanc rem optime exposuit Nipperdeius,[2] quem Marquardtius[3] secutus est. Sed nemo, quod sciam, perspexit quanti momenti haec essent ad verba Petroni explicanda. Nam nisi fallimur parva illa colonia quae Puteolis erat ipsa est quae a Petronio commemoratur. Itaque verba illa: 'Haec colonia retroversus crescit tanquam coda vituli' Puteolis quam maxime conveniunt; nam coloniam Puteolanam paullatim defecisse vel eo optime probatur quod Augustus eam restituit. Deinde quod in sermonibus convivarum 'paene nulla fit mercaturae ac rerum nauticarum mentio' simili modo facillime explicari potest. Nam cena Trimalchionis in colonia agitur; sed sine dubio emporium Puteolanum in vetere oppido, quod olim portus Cumarum fuerat,[4] situm erat. Itaque non mirum est si homines coloniae, qui longius a mari habitabant[5] et fortasse emporii mercatores despiciebant, haud ita multum dicebant de mercatura et rebus maritimis. Est tamen locus cenae Trimalchionis qui ad res nauticas pertinet (c. 76).

Deinde Encolpius haec dicit (c. 81): 'Effugi iudicium, harenae imposui, hospitem occidi, ut inter [tot] audaciae nomina mendicus, exul, in deversorio Graecae urbis iacerem desertus?' Sed idem Encolpius paulo antea dixerat: 'Nec diu tamen lacrimis indulsi, sed veritus ne Menelaus etiam antescholarius inter cetera mala solum me in deversorio inveniret, collegi sarcinulas *locumque secretum et proximum litori* maestus conduxi.' Id est, priore hospitio deserto, se in 'Graecam urbem,' quo nomine *pars urbis quae proxima mari erat* designari videtur, contulerat. Huius autem nominis duplex ratio est; nam veterrima pars urbis, quae in colle prope a mari sita erat,[6] olim re vera 'Graeca urbs' portusque Cumarum fuerat, atque subiacens emporium Encolpi temporibus, id est, Augusti aetate, simillimum Graecae urbis erat.[7]

---

[1] Tac. Ann. XIV. 27 (A.U.C. 813); C. I. L. IV. 2152; X. 5369.

[2] Ad Tac. Ann. XIV. 27.

[3] 'Staatsverwaltung,' ed. alt. I. p. 118, adn. 4.

[4] Strabon. V. p. 245; Dionys. VII. 3.

[5] Fortasse colonia in superiore parte urbis (Beloch. Camp. pp. 137 seqq.) sita erat, si quidem coloni in uno loco habitabant.

[6] Beloch. Camp. pp. 130–31; cf. Atlas. Pl. III.

[7] 'Wer zu Cicero's oder Seneca's Zeit das Emporium von Puteoli durchwan-

Itaque, ut res quam brevissime exponatur, in urbe Puteolanorum et colonia Romana, in qua cena Trimalchionis agitur, et municipium erant. Praeterea ea pars urbis quae proxima mari erat, id est, veterrima pars urbis et adiacens emporium, 'Graeca urbs' ab Encolpio vocatur.

Multa sunt quae hanc opinionem confirmant. Primum enim praetor, aediles, seviri, munera gladiatoria et multa alia eiusmodi in cena Trimalchionis, quam vocant, commemorantur quorum in reliqua parte satirarum quae quidem ad urbem Campaniae pertinet, nulla fit mentio. Deinde si et colonia et municipium in urbe erant, paene constat colonos de maioribus suis iuribus et privilegiis gloriaturos fuisse. Itaque intelligi possunt illa: '*Haec colonia* retroversus crescit tanquam coda vituli';[1] 'Quid enim futurum est si nec dii nec homines *huius coloniae* miserentur';[2] 'Puer capillatus in *hanc coloniam* veni';[3] 'mathematicus qui venerat forte in *coloniam nostram*.'[4] At in reliqua parte satirarum nihil tale legitur.

Similiter 'colonia' Puteolana in titulis vel saepissime[5] commemoratur, atque cives etiam annos a colonia deducta numerabant.[6] Notandum est autem quod homines coloniae Trimalchionis 'Graeculos' contemptim Graecos vocabant;[7] quod profecto mirum fuisset si et ipsi Graeca in urbe habitarent. Deinde, quod ex saturis scire possimus, coloni plerique certe non ad mare vel in ipso emporio sed longius a mari habitabant.[8] Sed Puteoli situ ipso divisi erant in duas partes, urbem exteriorem,[9] quae propior mari erat, et urbem interiorem,[10] quae longius a mari in collibus erat sita. Itaque coloniam in urbe interiore vel certe sub ea fuisse facile suspiceris; et fortasse urbs exterior distinctionis causa 'Graeca urbs' vocabatur.

---

derte, musste sich in eine Stadt des Hellenischen Ostens versetzt glauben'; ibid. p. 116; cf. 134.

[1] C. 44, p. 29, l. 26.

[2] Ibid. l. 34.

[3] C. 57, p. 38, l. 13.

[4] C. 77, p. 52, l. 7.

[5] Plus quam vicies quinquies.

[6] C. I. L. X. 1781; cf. 1566. Ibid. I. 577.

[7] Cf. c. 38, 'Graeculis' (apibus); c. 46, 'Graeculis' (litteris); c. 76, 'Graeculio.

[8] Notandum est quod multi e colonis fundos vel agros habebant; cf. cc. 37; 46; 48; 57 med. Deinde Graecul ionem in coloniam venisse ut res notabilis commemoratur (c. 76). Denique mercaturae et navium paene nulla fit mentio, nisi c. 76.

[9] Hoc nomine veterrimam partem urbis ('die Alt-stadt' Beloch.) et emporium Puteolanum brevitatis causa comprendimus.

[10] Haec est 'die obere Stadt' Belochi; v. Camp. p. 137 seqq.

Permulta autem de urbe Trimalchionis tradita sunt[1] quae Puteolis quam maxime conveniunt. Nam Puteoli in Campania ad mare siti erant, neque longe aberant a Baiis Capuave. Colonia autem Puteolos A.U.C. 560 deducta est, ut supra diximus, et inter magistratus Puteolanos aediles saepe commemorantur.[2] Deinde Augustales ibi multum valebant, ut tituli clare indicant.[3] Urbs autem Puteolanorum in regiones divisa erat, quarum mentio fit in titulis.[4]

Sine dubio autem colonia Puteolana Latina lingua et Romanis institutis, ut coloniae par erat, utebatur. Praeterea animadvertendum est quod munera gladiatoria in titulis Puteolanis memorantur.[5]

Situs autem Puteolorum urbi Trimalchionis quam maxime convenit; magna pars enim Puteolorum proxima mari erat. Commemorantur autem in titulis Puteolanis porticus,[6] balnea,[7] basilica,[8] templa,[9] forum,[10] curia[11] et fortasse alia[12] quorum mentio fit in saturis Petronianis. Praeterea et theatrum[13] et amphitheatrum[14] Puteolis erant. Sed his rebus haud ita multum auctoritatis tribuendum est; talia enim aedificia et in aliis urbibus erant. At 'monimenta' quorum Niceros meminit (c. 62) nisi fallimur eadem sunt quae etiam hodie ad veterem Viam Consularem exstant.[15] Puteolos autem magnum emporium fuisse nescit nemo; atque multos homines exterarum gentium ibi habitasse et tituli et scriptores testantur.[16] Deinde dii qui a Puteolanis colebantur iidem fere erant quos cives urbis Trimalchionis venera-

---

[1] Cf. pp. 23–27 huius commentarioli.

[2] C. I. L. X. 1676; 1725; 1785; 1799; 1801; 1810; 1821.

[3] C. I. L. X. 1551; 1574; 1624; 1839; 1807; 1869; 1870; 1872; 1876; 1877, 1878; 1879; 1880; 1881; 1884; 1887; 1889; 1892; 1567 et al.; Beloch. Camp. pp. 108–11. [4] C. I. L. X. 1695; 1680; 1700; 1631. [5] Ibid. 1785; 1825.

[6] C. I. L. X. 1894; cf. Cic. Acad. Pr. II. 80; Beloch. Camp. p. 134.

[7] C. I. L. X. 3161; cf. 1707. [8] Ibid. 1782; 1783; Beloch. Camp. p. 141.

[9] Cf. C. I. L. I. 577, 'aedem Serapi'; C. I. L. X. 1578; 1602; 1613; 1783.

[10] Ibid. 1698. [11] Ibid. 1782; 1786.

[12] 'Clivus' qui a Ganymede (c. 44) commemoratur fortasse idem est cuius mentio fit in titulo C. I. L. X. 1698. Sed magis puto locum Petroni ad Clivum Capitolinum pertinere.

[13] Gell. XVIII. 5, 1. [14] Cf. Beloch. Camp. pp. 137–8.

[15] Beloch. Camp. p. 143: 'Hier beginnt die grossartige Gräberreihe, die diese Strasse in mehr oder weniger unterbrochener Folge mehr als vier Miglien weit einfasst. Es ist etwas ergreifendes, dieses meilenlange Wandern durch die einsame Todtenstadt; hier mehr als irgendwo sonst wird man inne, dass Puteoli eine Grossstadt gewesen ist.' [16] Beloch. Camp. pp. 118–22; cf. 115–16.

bantur. Hi dii enim et in titulis Puteolanis et in ea parte saturarum quae ad urbem Campaniae pertinet nomine memorantur: Iuppiter,[1] Mercurius,[2] Venus,[3] Liber pater,[4] Hercules,[5] Fortuna,[6] Lares[7] et Augustus. Neptunus quoque Puteolis colebatur, et Porticus Neptuni in urbe erat, ut Cicero testatur.[8] Ludi autem Augusti temporibus Puteolis celebrabantur[9] et Circi ruinae etiam hodie exstant.[10]

Denique Puteolanos litteras coluisse licet suspiceris. Plinius enim narrat puerum Baianum Puteolos in ludum itasse,[11] et Gellius dicit anagnosten quendam Enni Annales in theatro Puteolano recitasse.[12] Ciceronis autem praedium sub urbe fuit.[13] Haec omnia cum indiciis quae in saturis invenimus bene congruunt.

Reliquum est ut aliud argumentum, quod aliquid certe auctoritatis habet, proferamus. Diximus enim seviros Augustales et in saturis Petronianis et in titulis Puteolanis[14] commemorari. Sed in titulis qui in inferiore parte Italiae inventi sunt 'seviri' et 'seviri Augustales' non commemorantur nisi Puteolis et Regii.[15]

Quae cum ita sint, multa sunt quae Iannelli sententiam confirment; atque ipsa argumenta quae nonnullis contra eam valere visa sunt, re vera non modo eam non evertunt sed etiam probant et demonstrant. Itaque urbem Trimalchionis Puteolos fuisse licet concludamus. Haec fere sunt quae de hac quaestione dicenda putaremus.

---

[1] C. I. L. X. 1571; 1572; 1575; 1576; 1577; 1578; 1634.
[2] Ibid. 1589; 1590. [3] Ibid. 1595; 1596; 2483. [4] Ibid. 1583; 1584; 1586.
[5] Ibid. 1569; cf. 1570. [6] Ibid. 1557; 1558; 1568. [7] Ibid. 1580; cf. 1581.
[8] Acad. Prior. II. 25, 80. [9] Suet. Vit. Oct. 44: 'Puteolis per celeberrimos ludos.'
[10] Beloch. Camp. p. 142. [11] Hist. Nat. IX. 24. [12] Gell. XVIII. 5, 1.
[13] De Fato 2; Ad Fam. V. 15, 2. [14] C. I. L. X. 1567; cf. Beloch. Camp. p. 108.
[15] Schmidt. de Sev. Aug. p. 8; cf. p. 44; Marquardt. 'Staatsverw.' ed. alt. I. p. 203, adn. 8. Sed 'Augustales' nude dicti in multis titulis eius partis Italiae memorantur. Sunt autem qui 'Augustales' et 'seviros' vel 'seviros Augustales' nullo modo dissimiles fuisse putent. Quod nobis quidem incredibile videtur; nam 'sevir et Augustalis' saepe legitur in titulis; Schmidt l. l. pp. 16–19. Sed tota haec quaestio perdifficilis et perobscura est. Cf. Schmidt l. l. pp. 38–49; Marquardt. l. l. pp. 203–4.

DEC 21 1937
DUE SEP 19 41
DUE SEP 27 43